ANALYSIS

TRACTATUS DE NOVISSIMIS.

ANALYSIS

Tractatus

DE NOVISSIMIS

quam in gratiam alumnorum Seminarii Gandavensis
conscripsit

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS

H. LAMBRECHT,

EPISCOPUS GERRENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR
ET OLIM IN SEMIN. GANDAV. PROFESSOR, ETC.

GANDAVI,

EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL.mi EPISCOPI.

1888.

PROPRIETAS.



Imprimatur.

Datum Gandæ, 2 Aprilis 1888.

† **Henric.**, *Episc. Gandav.*

ANALYSIS TRACTATUS

DE NOVISSIMIS

PROOEMIUM

—

I. Objectum Tractatus. Habet hic tractatus ut objectum novissima Dei opera tum circa singulos homines in morte ipsorum, tum circa mundum totumque humanum genus in fine sæculorum; et inde inscribitur **de Novissimis.**

Novissima autem *hominis uniuscujusque* juxta communem recensionem sunt : *mors, judicium, infernus* et *cœlum;* sed sub nomine *inferni* intelliguntur tum infernus proprie dictus, tum limbus seu locus eorum qui solo originali peccato inquinati moriuntur; et sub nomine *cœli* veniunt tum cœlum proprie dictum, tum purgatorium, quod cœli est atrium.

Novissima autem *mundi totiusque humani generis* sunt : *mundi per ignem destructio ejusque renovatio, resurrectio mortuorum, judicium universale*, et *regnum Christi æternum.*

II. Locus hujus tractatus in Theologia. Logice

ultimum obtinet locum inter tractatus Theologiæ dogmaticæ specialis. Hæc enim pro munere habet ea omnia exponere et demonstrare fidei puncta, quæ theoretica sunt et doctrinæ morum constituunt fundamentum : fidei nempe doctrinam tum circa Deum unum in natura et trinum in personis, tum circa opera Dei ad extra. Jamvero inter hæc opera ad extra sequens datur ordo : 1° habentur hominis creatio et elevatio, e qua elevatione homo per peccatum excidit ; 2° hominis lapsi per Verbum incarnatum reparatio ; 3° gratia Dei per merita Christi homini data in ordine ad salutem ; et 4° ultima illa opera, quæ Deus efficit circa singulos homines in morte ipsorum, et quæ effecturus est circa mundum totumque humanum genus in fine sæculorum.

III. Distributio materiæ. Hunc tractatum in duas distribuemus partes : in priori agemus de novissimis singulorum hominum ; et eam subdividemus in sex capita, quorum 1m erit *de morte*, 2m *de judicio particulari*, 3m *de inferno*, 4m *de limbo*, 5m *de purgatorio*, et 6m *de cœlo*. In posteriori autem agemus de novissimis mundi totiusque generis humani in fine sæculorum ; eamque subdividemus in quatuor capita, quorum 1m erit *de mundi destructione et renovatione*, 2m *de resurrectione mortuorum*, 3m *de judicio universali*, et 4m *de regno æterno Christi Domini*.

PARS PRIOR

De Novissimis singulorum hominum

CAPUT PRIMUM

De Morte

Ut plenam obtineamus de morte cognitionem, inquirere debemus : 1° de essentia ejus, seu quid sit mors; 2° de ejus extensione seu quibusnam mors obventura sit; 3° de tempore et modo quo mors nobis accidit; 4° de ejus causa, utrum nempe ipsa fluat ex naturæ conditione, an vero aliunde; 5° de effectu ejus quoad salutem nostram, seu quid efficiat sub respectu salutis nostræ.

§ I.

Q. In quo consistit mors hominis?

R. *Mors consistit in animæ a corpore separatione, qua corpus vita privatur; anima autem hac separatione vita non privatur, neque unquam ea privabitur, cum sit immortalis.*

—

I. **Explicatio responsi.** Ex dictis liquet mortem hominis non consistere in destructione eorum omnium, quæ hominem constituunt, sed in sola separatione animæ a corpore, qua solum corpus vita privatur. Quamvis autem anima non moriatur, homo tamen recte dicitur mori, quia compositum illud animæ et corporis, quod est homo, vere dissolvitur.

II. **Gradus certitudinis.** In hoc responso immortalitas

animæ est solum punctum, de quo sub respectu certitudinis inquirendum est. Jamvero *de fide* est animam humanam esse immortalem; id enim definitum fuit in conc. Lateranensi V, Sess. VIII.

III. Demonstratio. E S. Scriptura, ex Ecclesiæ Traditione et e firmis rationibus theologicis clare demonstratur animam humanam non mori simul cum corpore, eamque post mortem æternis affligendam esse pœnis, aut æterna fruituram beatudine. Jamvero inde manifeste fluit animam esse immortalem; ergo. — Illa argumenta e Scriptura et e Traditione deprompta, atque has rationes theologicas hic non afferimus, cum infra longe lateque sint exponenda.

Animæ immortalitas etiam plene demonstratur pluribus rationibus philosophicis, quarum præcipua hæc est : anima, cum non solum sit *simplex* seu partibus non constans, sed etiam sit *spiritualis* seu a materia in existendo prorsus independens, non ex seipsa morti est obnoxia, ac proinde nisi a Deo annihiletur, semper est exstitura. Jamvero supponi nequit quod Deus aliquod ens, cui immortalem naturam dedit, contra hujus naturæ indolem morte afficeret; nam Deus, utpote summe sapiens, non potest leges stabilire inter se pugnantes. Ergo. — Notetur non haberi de animæ spiritualitate apertam Ecclesiæ definitionem; attamen quod anima vere spiritualis est, tantis nititur fundamentis, ut *fidei proximum* sit dicendum.

IV. Objectiones : 1ª S. Scriptura videtur animæ immortalitatem negare; nam I. Tim. VI. 16 tribuit soli Deo immortalitatem de Ipso dicendo : « *Qui solus habet immortalitatem;* » et Eccl. III. 19 affirmat homines eodem modo interire ac jumenta, quæ pereunt tum quoad corpus tum quoad principium suum vitale; dicit enim : « *Unus interitus est hominis et jumentorum.* »

R. Ad priorem textum notamus : ut hæc verba nobis opponi possent, requireretur ut in ipsis indubie quævis immortalitas

Deo exclusivo modo adscriberetur; atqui demonstrari non potest id in præsenti fieri textu. Etenim duplex immortalitas distingui potest : immortalitas nempe Deo propria, quæ non tantum est sine fine sed etiam sine initio, quæque ab alio non est accepta, sed per se existit; et immortalitas angelo vel animæ propria, quæ quidem sine fine sed non sine initio est, quæque ab alio est participata. De quali autem immortalitate objectus textus est intelligendus? Sane, non de posteriori, sed de priori, uti e tota Scripturæ doctrina liquet. Ergo non immortalitas quævis, sed sola immortalitas perfectissima soli Deo adscribitur; ac proinde ruit objectio.

Ad alterum textum ita respondemus : hæc verba nihil aliud exprimunt nisi hominem propter Adæ peccatum eodem modo, saltem quoad externa, interire ac animalia. Unde concludit auctor sacer quod nec in peccato felicitas est quærenda, siquidem peccatum tanta a Deo fuerit punitum pœna. Nullatenus negat auctor sacer animæ immortalitatem, sed contra per totum hunc librum eam asserit; unice loquitur de morte corporis, qua homo, saltem externe seu quoad apparentiam sensibilem, interit eadem ratione ac si merum esset animal : assimilavit eum Deus quoad mortem bestiis in pœnam superbiæ, qua homo voluerat assimilari Deo. (*Cfr. Tract. de Deo Creat.* p. 522.)

Obj. 2ª Anima nostra est passibilis; ergo est mortalís, quia passio est initium mortis.

R. Verum est, passionem quæ consistit in læsione, aut in corruptione substantiæ initium esse mortis; sed talis passio in anima non habetur. Anima tantum passibilis est passione, in actu intellectus et voluntatis consistente, quæ ejus substantiam nullatenus mutat, lædit aut corrumpit. Corpus autem humanum ab hac anima informatum passibile est læsione immutante, atque ideo mortale est.

Obj. 3ª Anima dicitur per peccatum mortale mori, ergo non est immortalis.

R. Ubi dicimus animam per peccatum mortale mori, non affirmamus eam mori morte physica, sed morte in spirituali sensu accepta; atqui hic agimus de morte physica; ergo nihil ex isto loquendi modo contra animæ immortalitatem concludi potest. — Notetur animam gratia sanctificante ornatam ideo dici *vivere vita supernaturali,* quia per hanc gratiam habet in se facultatem ponendi actus supernaturales; vita enim consistit in facultate seipsum movendi. Anima autem, hac gratia sanctificante privata, dicitur mortua quoad vitam supernaturalem, quia in se non habet facultatem ponendi actus supernaturales, utpote privata principio se movendi in ordine supernaturali.

§ II.

Q. Quibusnam obvenit mors?

R. *Mors obvenit omnibus et singulis hominibus, sine ulla exceptione.*

—

I. **Gradus certitudinis**. *De fide est*, et etiam experientia evidenter constat, mortem generatim omnibus obvenire. Quod autem nemo ab hac lege excipitur, definitum ab Ecclesia non est. Quidam Patres græci et quidam theologi opinantur non morituros esse illos homines qui in fine mundi vivent, verum Patres latini nullam exceptionem admittunt; et hæc sententia videtur *verior* seu *probabilior*.

II. **Demonstratio** : *e S. Scriptura*. Mortem generatim omnibus hominibus obvenire, aperte liquet ex textu S. Pauli ad Rom. V, 12 : « *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* et ad Hebr. IX, 27 ; « *Statutum est hominibus semel mori.* » Quod autem in hac lege nulla exceptio habetur, ita demonstratur : S. Paulus in citato textu Epist. ad Rom. eamdem tribuit universalitatem morti ac peccato originali. Jamvero homines absolute omnes,

exceptis Christo Domino et Beata Virgine, originali peccato inquinantur; quæ etiam exceptiones non existunt pro morte; nam Christus mortuus est, uti e fidei doctrina constat, et historiæ documenta testantur etiam B. Virginem mortem obiisse. Ergo mors obvenit omnibus et singulis hominibus, sine ulla exceptione.

III. Objectiones. 1ª. S. Paulus videtur expresse docere, istos homines, qui in fine mundi vivent, non esse morituros; dicit nempe I. Thess. IV. 16 : « *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis.... obviam Christo in aëra; et sic semper cum Domino erimus;* » et I. Cor. XV, 51, juxta græcam lectionem : « *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur* (in vulgata autem legitur : *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur); et* II. Tim. IV, 1 : » *Testificor coram Deo, et Jesu-Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos.* »

R. Isti textus, in se considerati, duplici modo explicari possunt : æquali enim jure dici potest eorum sensum esse, aut quod homines, qui in fine mundi vivent, nullatenus morituri aut quod isti homines morituri quidem sunt, sed statim resuscitandi, ita ut dici non possit eos dormituros esse in sepulchro.

Utraque enim explicatio recte cum textibus istis componi potest, uti per se liquet. Jamvero ubi aliquis textus multiplicis explicationis est capax, de vero ejus sensu dijudicandum est secundum clariora scriptoris loca. Atqui clariora Scripturæ loca expresse affirmant absolute omnes homines morituros esse. Ergo vera significatio textuum, qui nobis opponuntur, non est, homines, qui in fine mundi vivent, non esse morituros, sed non dormituros esse in sepulchro; ac proinde ruit objectio.

Obj. 2ª In symbolo dicitur de Christo : « *Inde venturus est judicare vivos et mortuos;* » ergo non omnes moriuntur.

R. Eadem ratione hic respondendum est ac præcedenti objectioni; per *vivos* scilicet intelligi illos, quos adventus Domini

vivos reperiet. Ipsi tamen per ignem conflagrationis morientur sed statim resuscitabuntur.

§ **III**.

Q. Quo tempore et quomodo obvenit hominibus mors?

R. *Citra specialem revelationem nemini nota sunt mortis suæ dies vel modus.*

I. **Gradus certitudinis**. Hoc responsum est saltem *theologice certum;* non quidem ab Ecclesia est definitum, sed clare et aperte e fidei fontibus deducitur. Etiam universali experientia comprobatur.

II. **Demonstratio** : *e S. Scriptura.* In pluribus SS. Litterarum locis incertitudo horæ mortis ejusque circumstantiarum frequenter commemoratur; ita Eccl. IX, 12, legitur : *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.* » Pariter Christus in parabola de virginibus, quæ in inopinato sponsi adventu extinctas lampades præ manibus tenebant, et ideo e nuptiis exclusæ sunt, hoc adjicit monitum : « *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* » (Matt. XXV, 13); et apud Luc. XII. 40 dicit : « *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* »

III. **Rationes convenientiæ**. Causæ præcipuæ, ob quas Deus ultimam vitæ horam nobis incognitam esse voluit, sunt sequentes :

1° Voluit ita Deus refrænare peccandi libidinem et frangere pertinaciam persistendi in peccatis; uti patet e verbis Christi : « *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ et superveniat in vos repentina dies illa.* » (Luc. XXI, 34.)

2° Voluit etiam hac ratione homines excitare ad quovis tempore opera bona solerter peragenda. Christus enim dicit :

« *Videte, vigilate et orate; nescitis enim, quando tempus sit.* » (Marc. XIII, 33.)

3° Voluit tandem inde stabilire ordinem socialem. Si enim homines mortis suæ tempus præscirent, pax et tranquillitas inde maxime violarentur. Qui enim scirent se nonnisi brevi tempore in hac vita mansuros, dejecto semper animo essent, vel etiam in desperationem laberentur; ad officia sua implenda essent inepti, sibique et aliis molesti. Præterea iidem vix invenirent, quibuscum contractus possent inire; et sic maximas in hoc mundo experirentur molestias. E contra qui scirent, se multos annos victuros, facile insuperbirent, nimium insolescerent et tyrannice alios opprimerent. — Quia autem hora mortis nobis est ignota, excitantur homines ad solerter laborandum in acquirendis bonis temporalibus, quia diu in terra vivere possunt; sed simul amoventur ab immoderato temporalium desiderio et usu, quia omni momento ex hac vita migrare et ad Dei tribunal vocari possunt.

§ IV.

Q. Quænam est causa mortis hominis?

R. *Homini secundum naturalia sua considerato mors est naturalis, seu fluit ex conditione naturæ ejus; verum attento facto elevationis nostræ ad statum supernaturalem, mors est effectus peccati originalis.*

—

I. Explicatur responsum. Dicitur : *mortem esse naturalem homini secundum naturalia sua considerato;* quibus verbis significamus humanam naturam, omnibus suis essentialibus et integralibus notis instructam, morti obnoxiam esse, seu dotem immortalitatis inter humanæ naturæ essentiales vel integrales notas non computari.

Dicitur : *mortem, attento facto elevationis nostræ ad statum supernaturalem, esse effectum peccati originalis.* Etenim

homo non in naturali sua conditione a Deo est relictus, sed in Adamo elevatus fuit ad supernaturalem conditionem, in qua immortalitatis dote erat instructus. Verum supernaturalem suam sortem donaque ei annexa deperdidit per peccatum Adami, et ita mors est effectus peccati originalis.

II. Gradus certitudinis. Prior pars propositionis est saltem *theologice certa*, nam multoties proposita fuit ab Ecclesia contra Baium, Jansenium et Pistorienses, quamvis ut *de fide* non declarata. Posterior autem pars est *de fide;* nam ut talis definita expresse fuit in Trid. Sess. V.

III. Demonstratio. Argumenta hujus responsi evolvuntur in Tract. de *Deo Creatore*, ubi ostenditur corporis immortalitatem esse donum præternaturale gratis a Deo homini collatum, sed per peccatum amissum.

IV. Scholion. In hujus quæstionis complementum inquirendum etiam est : *An mors dicenda sit pœna peccati originalis?*

R. Mors est vere pœna peccati originalis in istis, qui isto peccato inquinati existunt, uti per se patet; verum in illis, in quibus peccatum originale deletum est, mors non amplius est proprie pœna hujus peccati, utpote juxta doctrinam Ecclesiæ plene remissi tam quoad culpam quam quoad pœnam. Attamen in eis dici potest pœnalitas seu miseria, similitudinem pœnæ habens; sed vera pœna non est, cum non infligatur in vindictam peccati, quod ad essentiam pœnæ requiritur.

§ V.

Q. Quid efficit mors respectu salutis nostræ?

R. *Morte concluditur tempus probationis homini concessum, seu finis imponitur statui viæ, ita quidem ut futura hominis sors unice ab hac vita dependeat, et post mortem homo jam nec mereri nec demereri amplius possit.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *de fide;* apertissime enim in S. Scriptura, et in Traditione Ecclesiæ continetur.

II. Demonstratio : 1° *e S. Scriptura.* S. Paulus enim in II. Cor. V. 10, de judicio loquens divino dicit : « *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prouti gessit sive bonum sive malum.* » Hisce autem in verbis declarat Paulus judicii materiam fore omnia bona et mala opera, quæ fecerit homo durante vita sua mortali, seu vita cum corpore ; « *propria,* ait, *corporis, prouti gessit sive bonum sive malum.* » Jamvero hæc determinatio : *durante mortali vita*, rationem non haberet, si Paulus non sentiret sola opera vitæ nostræ mortalis esse materiam judicii, ac proin tempus probationis per mortem concludi. Ergo ex citato Pauli textu demonstratur veritas assertionis nostræ.

Idem aperte constat e verbis Eccles. XI, 28 : « *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* » Ex his enim verbis liquet retributionem nostram initium habere a momento mortis, ac proinde etiam in hoc momento statum viæ cessare.

2° *e Traditione.* S. Patres in concionibus suis, et Ecclesia in suis ritualibus, legibus et monitis hanc doctrinam ut veritatem notissimam frequenter inculcant, et per eam fideles excitant ad sanctum mortis timorem et ad pœnitentiam in hac vita agendam. Ita S. Augustinus (Enchiridion, c. 110) dicit : « *Nemo speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri ;* » et Ecclesia omni modo, quo potest, parochis commendat curam infirmorum, quia nempe a morte dependet salus nostra æterna.

3° *e ratione theologica.* Hæc doctrina argumento theologico *a priori* demonstrari non potest, cum cessatio status viæ per mortem non e rerum natura sed e positiva Dei dispositione fluat; non enim per se repugnat, ut haberetur etiam in altera vita meritum et demeritum. — Verum *a posteriori* id demonstrare possumus ex aliis positivis Dei institutis, e quibus manifeste

liquet Deum positive voluisse, ut tempus probationis morte concluderetur. Talia sunt necessitas medii in re vel in voto sacramentorum, necessitas medii in re vel in voto Ecclesiæ; si enim supponamus statum viæ morte non absolvi, et adhuc post mortem locum esse pœnitentiæ, statim necessitas sacramentorum et Ecclesiæ cessat.

Præterea, attenta actuali Dei providentia, si status viæ non cessaret mortis tempore, jam non existeret sufficiens divinæ legis sanctio et destrueretur virtutis studium. Tranquillo enim animo posset homo vias ambulare iniquitatis, et opera virtutis negligere sibi pollicendo pœnitentiam et meliorem vitæ disciplinam post mortem; quod cum Dei sapientia componi non potest.

Notari potest saniores philosophos antiquos mediis in tenebris paganismi agnovisse, non aliam esse hominis destinationem, quam ut moralitatem in hac vita sectetur, et sic in altera vita congruam consequatur felicitatem.

III. Errores. 1° Modernis nostris temporibus sunt nonnulli, qui perfectibilitatis systema propugnent, et contendant hominem etiam post mortem perfici per actiones suas, et constanter ad majorem perfectionem moralem et felicitatem tendere debere.

Aperte proponitur hoc falsum et hæreticum systema in libello nuperrime evulgato : *Eléments de Morale Universelle à l'usage des Ecoles laïques par G. Tiberghien*, 1879; in quo pag. 151 hæc leguntur : « Quelque effort qu'il fasse, l'homme, arrivé au » terme de la vie, n'a pas acquis tout le développement que » comporte la nature humaine. Sa destinée n'est pas achevée. » Il n'est pas parfait, il est toujours perfectible.

» Et cependant est-il possible d'admettre qu'un être ait une » destinée, qu'il ne peut accomplir? Quand nous voyons que, » partout dans la nature, les êtres parviennent à leur but, que » partout les moyens sont exactement proportionnés à la fin, dans » les plantes et dans les animaux, est-il raisonnable que l'homme » fasse exception?

« La destinée de l'homme est clairement tracée par sa nature.
» Or, en fait, l'homme est loin de réaliser toute sa destinée sur
» la terre. Qu'en faut-il conclure? que l'âme est immortelle.

» En effet, si tout être remplit sa destinée, l'homme doit
» remplir la sienne. Et si l'homme n'achève pas sa destinée sur
» la terre, il doit l'achever ailleurs.

» Sinon, il n'y aurait pas d'ordre moral. L'homme aurait une
» destinée, qu'il ne peut accomplir ou l'homme ne serait pas fait
» pour la destinée qui lui est assignée par la nature. Il n'y
» aurait pas correspondance en nous entre les moyens et la fin. »

Idem adhuc clarius proponitur pag. 155 : « La destinée de
» l'homme est tellement haute et tellement vaste que personne
» ne peut et ne pourra jamais sur la terre, se flatter de l'accom-
» plir toute entière, dans son ensemble et dans chacune de ses
» parties.

» Et cependant cette destinée est fondée dans notre nature, et
» notre nature n'est pas trompeuse. Toutes les indications qu'elle
» nous donne sur la vie morale et religieuse, sur la vie indivi-
» duelle et sociale, sont exactes.

» Comment donc expliquer cette contradiction apparente dans
» l'œuvre de la destinée humaine? Comment expliquer que
» l'homme est chargé d'une destinée qu'il n'a pas les moyens de
» remplir sur la terre?

» L'explication se trouve dans l'immortalité de l'âme. Si l'on
» ajoute la vie future à la vie présente, l'homme a le temps infini
» devant lui. Il pourra alors travailler sans fin, avec l'aide de
» Dieu et de ses semblables, à son perfectionnement et à l'achève-
» ment de sa destinée en se rapprochant sans cesse de l'idéal. »

Tota hæc doctrina aperte pugnat cum fide catholica, et ut hæretica est respuenda, uti e supra demonstratis liquet. Intime autem connectitur, uti ex infra dicendis patebit, cum auctoris opinione de mercede justorum et pœna peccatorum : censet enim ipse haud aliam haberi pro justis mercedem quam bonum testi-

monium conscientiæ, nec aliam impiorum pœnam quam conscientiæ remorsum. Liquet hanc sententiam immediate deduci ex insulso pantheismi systemate, quo docetur, omnia, quæ existunt e substantia emanasse divina, et constanter tendere ad perfectionem.

2° Recensendus hic etiam est error aliquorum veterum, qui putarunt animas post mortem non ad aliam vitam extra hanc terram transire, sed potius in corpora brutorum vel in alia corpora humana detrudi, ut pœnam vel mercedem recipiant, et simul novum probationis tempus sustineant : hæc autem doctrina vocatur *metempsychosis*. Aperte cum fide catholica pugnat, et etiam philosophicis argumentis plene confutatur.

CAPUT SECUNDUM

De Judicio Particulari

Prænotanda. Per *Judicium* hoc loco intelligimus, examen et sententiam Dei decernentis unicuique præmium vel pœnam secundum ejus merita vel demerita, ita ut judicandi sors inde sit determinata.

Duplex autem distinguitur Dei Judicium : alterum *particulare* quod quælibet anima immediate post separationem a corpore subit in particulari ; alterum *universale*, quod fiet circa omnes homines et coram omnibus in fine mundi.

Hic tantum de judicio particulari agemus ; et de eo inquiremus tum an vere existat, tum quænam sint qualitates ejus ; quisnam nempe in eo judicis munus exerceat, an et quomodo in eo fiat discussio et sententiæ prolatio, quo temporis instanti fiat, ubi locum habeat, et tandem an sententia in hoc judicio prolata statim executioni mandetur.

§ I.

Q. An Judicium particulare vere existit?

R. *Quilibet homo, statim post mortem, particulare subit judicium, quo sors ejus determinatur.*

—

I. **Gradus certitudinis.** Hoc responsum est *de fide*; implicite enim continetur in aliis fidei dogmatibus, qualia sunt : justos post mortem purgari, vel si purgatione non indigeant mox in cœlum recipi ; malorum vero animas post mortem detrudi in infernum. Hæc omnia supponunt latam esse sententiam, et sententia supponit judicium.

II. **Demonstratio.** : 1° *e S. Scriptura.* In Eccles. XI. 28, legitur : « *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* » Hisce verbis auctor sacer intendit scandalum amovere, quo nonnulli perturbantur, dum in hac vita justos vident infelices, impios autem felices : provocat nempe ad alteram vitam, in qua condigna fit operum retributio, et dicit : absque labore et secundum plenam justitiam retribuet in die obitus unicuique juxta merita, felicitatem justis, pœnam autem impiis. Cum autem dicatur hæc retributio fieri *in die obitus*, liquet judicium particulare vere existere; *dies obitus* enim aliam significationem non habet quam tempus quo anima a corpore separatur.

Existentia particularis judicii evidenter etiam colligitur ex parabola Salvatoris de epulone divite et Lazaro mendico. « *Factum est autem,* ait Dominus (Luc. XVI. 22), *ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* » Docet igitur Dominus illum pium mendicum statim post mortem ductum esse in limbum seu locum quietis, in quo omnes justi ante Christi redemptionem, cum cœlum nondum esset apertum, manebant;

impium vero statim post mortem esse detrusum in infernum. Jamvero utrumque certe factum est secundum justum judicium Dei, unicuique pro meritis retribuentis. Ergo e verbis Domini constat hominem statim post mortem judicari, ac proinde existere judicium particulare.

Multi auctores addunt notissimum testimonium S. Pauli ad Hebr. IX, 27 : « *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Verum ex hac sententia deduci non potest argumentum indubium; nam multi sunt interpretes, qui referant *judicium* ad judicium universale, et quidem haud sine ratione, uti videtur.

2° *e Traditione*. Inter plurima Patrum testimonia, satis erit citare hæc verba S. Augustini *De Anima et ejus orig*. L. 2 n. 8 : « Nam illud, quod rectissime et valde salubriter credit (Victor), » judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant » ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa, in qua hic vixerunt carne, torqueri vel » glorificari, hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus » Evangelium tanta mentis obstinatione obsurduit, ut in illo » paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ et in » illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non » audiat vel audita non credat. »

Præterea hæc veritas connectitur cum innumeris punctis, quæ ad Ecclesiæ doctrinam pertinent, uti supra jam partim ostendimus. Docet nempe Ecclesia Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum et utile esse suppliciter eos invocare, venerari et colere; purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; jamvero ex iis necessario consequitur quod singuli statim post obitum sortem, quam sunt promeriti, recipiunt, ac proinde subeunt judicium.

3° *e ratione theologica*. Judicii de sorte, quam operibus suis promeruit homo, usque ad mundi finem dilatio cum

sapientia Dei componi nequit. Etenim cum in morte tempus merendi vel demerendi sit exhaustum, par est omnino, ut unusquisque in morte judicium sustineat, et sortem quam sibi promeruit accipiat. Cur enim ea differrentur? Hæc certe dilatio justos multum affligeret, et quidem sine fructu; imo justos et impios toto tempore inter mortem et judicium ultimum æquales redderet ob statum dubitationis et formidinis plenum. Jamvero talis agendi modus erga justos Deo indignus videtur; ergo concludamus oportet judicium, quo sors uniuscujusque determinatur, non differri ad finem mundi usque, sed statim post mortem peragi.

S. Thomas *in* 4 *Sent. Dist.* 42, hanc rationem proponit : quilibet homo, ait, est singularis persona, et est etiam pars quædam totius generis humani; et ideo duplex ei debetur judicium, unum singulare, in quo recipiet præmium vel pœnam juxta ea, quæ in vita terrestri gessit, sed quoad animam tantum, et ita, ut sententia in ipsum lata non cæteris patefiat. Aliud judicium ei debetur, in quantum pars est totius generis humani; judicium nempe universale, in quo sententia in ipsum lata omnibus manifestatur, et corpus cum anima præmio aut pœna afficitur.

III. Errores. In initio Ecclesiæ Chiliastæ seu Millenarii docuerunt animas defunctorum usque ad diem judicii extremi de sua sorte incertas manere. Videtur quod etiam Lactantius hanc falsam secutus est sententiam.

Sæc. XVI, Lutherus et Calvinus hunc errorem renovarunt et aperte docuerunt sortem animarum non ante diem universalis judicii a Deo determinari.

§ II.

Q. QUIS IN JUDICIO PARTICULARI MUNUS JUDICIS EXERCET?

R. *Verior sententia tenet judicium particulare a Verbo incarnato seu a Christo ut Deo et homine exerceri, inde a tempore mortis Ejus.*

Explicatio et Demonstratio. Cum apud Joann. V. 22, dicatur : « *Neque enim Pater judicat quemquam, sed* » *omne judicium dedit Filio* », recte concluditur a Theologis judicium particulare a Christo ut Deo et ut homine exerceri inde a tempore Ejus mortis. Judicat autem Christus ut homo, tamquam vices gerens Dei, Patris, Filii et Spiritus S^ti^.

Verum, *qua ratione communicat Christus ut homo cum anima judicanda?* A priori tres hypotheses sunt possibiles : vel Christus reali descensu venit ad animam judicandam; vel anima judicanda adducitur in cœlum ad Christum; vel anima sententiam accipit per illuminationem intellectualem. S. Scriptura autem et Traditio expresse non docent quonam ex his modis judicium a Christo homine peragatur; et ideo e rationibus theologicis de propositis hypothesibus judicium est ferendum.

Inprimis haud admitti potest Christum ad animam judicandam vere descendere. Etenim ad id requireretur multiplicatio præsentiæ Christi prorsus miraculosa, cum multi simul moriantur. Jamvero tale miraculum supponere non licet, nisi secus res explicari non posset; sed id in præsenti quæstione locum non obtinet, uti mox patebit; ergo.

Dein neque admitti potest animam judicandam adduci in cœlum, cum omnino incongruum videatur, ut animæ damnandæ vel purgandæ in cœlum intrent ut mox inde expellantur.

Tertia hypothesis nullum speciale requirit miraculum, nullumque incommodum secum fert; et idcirco admittenda videtur. Affirmare ergo possumus animam judicandam intellectualiter a Deo illuminari, et eam ita illuminatam apprehendere judicium, quod a Christo peragitur, et percipere damnationis aut salutis sententiam ab Eo prolatam.

Si nunc quæratur, *an anima judicanda videat humanam Christi naturam,* certum non possumus dare responsum, quia nullum habetur sufficiens fundamentum ut id affirmetur vel

negetur. Forsan vident animæ judicandæ Christum judicem eo modo, quo olim Ipsum vidit S. Stephanus, cum dixit Act. Ap. VII. 55 : « *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis, stantem a dextris Dei;* forsan etiam humanitatem Ejus non vident, et unice intellectu cognoscunt se a Christo homine judicari. (Cfr. Suarez, de Myst. Vitæ Christi, Disp. 52; sect. 2).

§ **III.**

Q. QUÆNAM EST JUDICII PARTICULARIS FORMA ?

R. *Discussio proprie dicta in eo locum non habet, sed anima circa statum suum interne a Deo illuminatur. Prolatio quidem habetur sententiæ; verum ea fit non verbis externis, sed etiam interna mentis illustratione.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc sententia dicenda est *certa,* utpote firmis argumentis e fidei doctrina deducta.

II. Explicatio et demonstratio. In omni judicio duo requiruntur : causæ cognitio, quæ in humano judicio per discussionem obtinetur; et sententiæ prolatio. In judicio autem particulari ista causæ discussio locum non obtinet : Christus enim, utpote omniscius, non indiget inquisitione, neque externo testimonio, ut plenam habeat causæ cognitionem; ex seipso omnia perfectissime novit, et statim animæ judicandæ statum ejus manifestat. Quæ igitur a Patribus dicuntur de Angelo custode partes defensoris, et de diabolo partes accusatoris agente, ideo proferuntur, ut fideles divinum judicium humano modo propositum melius percipiant. Probabile tamen omnino est, angelum custodem et spiritus malos judicii exitum exspectare, quia nec ipsi plenam habent certitudinem de futura morientis sorte; et ita huic vulgari expositioni verum habetur fundamentum. Quod attinet ad librum scriptum, qui in judicio proferetur, de eo notat S. Augustinus (De Civit. Dei, L. 20, n. 14) : « Quædam vis est intelligendi, qua fit, ut cuique opera sua bona

» et mala in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira » celeritate cernantur, ut accuset scientia conscientiam, atque » ita simul omnes, et singuli judicentur. Quæ nimirum vis » divina nomen libri accepit. In ea quippe quodam modo » legitur, quidquid ea faciente recolitur. »

Prolatio autem sententiæ, quæ est alter judicii actus, vere locum obtinet in judicio particulari, uti per se liquet; sed non fit verbis externis, cum Christus non sit corporaliter animæ præsens; verum interna perficitur illuminatione, qua anima percipit sententiam sibi edictam et plenissimam hujus sententiæ æquitatem.

§ IV.

Q. In quo temporis instanti fit judicium particulare?

R. *Certum videtur, animam in ipso temporis puncto, in quo a corpore separatur, judicium subire.*

—

Demonstratio. A priori tres hypotheses sunt possibiles : vel anima subit judicium paulo ante mortem, vel paulo post mortem, vel in ipsa morte. Jamvero prima hypothesis est rejicienda, quia juxta fidei doctrinam ad mortem usque datur pœnitentiæ locus.

Neque secunda hypothesis admitti potest, nam uti supra demonstravimus, sapientia Dei postulat ut animæ post mortem, cum tempus meriti et demeriti sit conclusum, statim judicentur et determinationem sortis obtineant. Ergo remanet ut tertiam admittamus hypothesim, quæ dicit animam, in ipso temporis puncto, quo separatur a corpore, judicium subire.

Nota. Animadvertatur oportet, in responso mox dato non comprehendi has personas, quæ post mortem miraculo speciali Dei ad vitam sunt revocandæ. Pro istis enim differtur judicium quoadusque postremo obierint, quia status viæ pro ipsis nondum

est conclusus. Reservantur autem istæ animæ tempore intermedio in aliquo loco; sed qualis tunc sit earum status, nobis est ignotum.

§ V.

Q. Quo in loco fit judicium particulare?

R. *Verior sententia tenet, animam judicari juxta corpus, a quo separatur.*

—

Demonstratio. Supra vidimus, animam statim post mortem judicari, et ab altera parte certo constat, judicium in unico temporis instanti absolvi, atque animam in eodem instanti in loco sibi destinato constitui; nam judicium a Christo illuminatione intellectus peragendum, et translatio animæ de corpore a quo separatur ad locum sibi destinatum moram non requirunt. Inde autem manifeste sequitur animam alia loca non occupare quam corpus, cui fuit unita, et dein locum sibi per judicium destinatum; jamvero certe non judicatur in loco per judicium sibi destinato; ergo judicatur juxta corpus a quo separatur.

§ VI.

Q. An sententia in particulari judicio lata statim executioni mandatur?

R. *Doctrina catholica tenet sententiam in particulari judicio latam, sive præmium sive pœnam respiciat, statim executioni mandari, ita ut animæ justorum perfecte puræ statim ad gaudia cœlestia admittantur; animæ justæ quidem, sed non perfecte puræ, statim ad purgatorium descendant; et animæ impiæ statim in infernum detrudantur.*

—

I. Gradus certitudinis. Totum hoc responsum est *de fide*; uti constat e constitutione Benedicti XII : « *Benedictus Deus* » anno 1336 edita, in qua sequentia habentur « Hac in perpetuum

» valitura constitutione auctoritate apostolica definimus, quod » secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum » omnium, qui ex hoc mundo ante D. N. J. C. passionem deces- » serunt, nec non sanctorum Apostolorum, martyrum, confesso- » rum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum » ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile » fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in » futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eis- » dem, cum post mortem suam fuerint purgatæ; ac quod animæ » puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizando- » rum, cum fuerint baptizati ante usum liberi arbitrii, deceden- » tium, mox post mortem suam et purgationem præfatam in » illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resump- » tionem suorum corporum et judicium generale post ascen- » sionem Salvatoris nostri J. C. in cœlum fuerunt, sunt et erunt » in cœlo, cœlorum regno et paradiso cœlesti cum Christo, Sanc- » torum angelorum consortio aggregatæ, ac post D. N. J. C. pas- » sionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam » visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in » ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate » se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes » eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione » et fruitione eorum animæ qui jam decesserunt, sunt vere » beatæ et habent vitam et requiem æternam, et etiam illorum, » qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, » ipsaque perfruentur ante judicium generale; ac quod visio » hujusmodi divinæ essentiæ ejusque fruitio actus fidei et spei » in eis evacuant, prouti fides et spes propriæ theologicæ sunt » virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis » intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et » fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ » visionis et fruitionis continuata extitit et continuabitur usque » ad finale judicium et ex tunc usque in sempiternum. »

« Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem com-
» munem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox
» post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernali-
» bus cruciantur, et quod nihilominus in die judicii omnes homi-
» nes cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis pro-
» priis rationem, ut referat unusquisque propria corporis prout
» gessit sive bonum sive malum. »

II. Errores. Circa hanc quæstionem necessario errant illi omnes, qui negant judicium particulare, aut contendunt statum viæ per mortem non concludi : executioni enim mandari non potest sententia, quæ non fuit lata.

Circa eam errarunt quoque Minoritæ tempore Joannis XXII; ipsi enim putarunt animas plene justas statim post mortem in cœlum quidem admitti, sed ante judicium universale visione Dei beatifica non frui.

III. Demonstratio *a)* **quoad animas purgandas.** Animas justas, sed nondum plene purgatas, statim post mortem ad purgatorium descendere, uti infra exponemus, plene constat e doctrina et praxi Ecclesiæ. Ipsa enim docet, purgatorium esse animasque in eo detentas per suffragia fidelium juvari; et statim a mortis tempore pro earumdem liberatione Deum orat. Ergo certissime tenet has animas statim post mortem in purgatorium recipi.

IV. Demonstratio *b)* **quoad animas impias** : 1° *e S. Scriptura*. Animas impias statim post mortem in infernum detrudi, plene demonstratur e parabola Lazari et divitis epulonis in qua a Christo dicitur (Luc. XVI, 22) : « *Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* » Etenim in hisce verbis immissio animæ impiæ in infernum dicitur eodem modo ac sepultura mortem subsequi. Jamvero sepultura immediate mortem subsequitur; ergo. — Idem patet ex textu Eccles. XI, 28 : « *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* »

2° *e Traditione.* Tertullianus (Lib. de Anima c. 58) dicit : « Velis, aut nolis, et supplicia jam illic (penes inferos) sunt, et » refrigeria : habes pauperem et divitem.... Cur enim non putes, » animam et puniri, et foveri in inferis interim sub exspecta- » tione (extremi) judicii;.... Adeo novit et apud inferos anima et » dolere et gaudere sine carne, quia et in carne illæsa, si velit, » dolet, et læsa, si velit, gaudet. Hoc si in arbitrio suo in vita, » quanto magis ex judicio Dei post mortem?.... Ergo propter hoc » congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, » puniri, quod non sociata carne commisit. »

3° *e ratione theologica.* S. Thomas in *Summa contra Gentiles Lib. IV, c.* 91, has theologicas rationes proponit :

a) « Vita præsens datur ad merendum vel demerendum; unde » comparatur militiæ et diebus mercenarii apud Job VII, 1 : » *Militia est vita hominis super terram; et sicut dies merce-* » *narii dies ejus.* Jamvero post statum militiæ et laborem mer- » cenarii, statim debetur, uti ratio docet, præmium vel pœna » bene vel male certantibus.... Ergo statim post mortem anima » vel præmium vel pœnam consequitur. »

b) « Secundum ordinem culpæ et meriti convenienter est ordo » in pœna et præmio. Meritum autem et culpa non competit cor- » pori nisi per animam : nihil enim habet rationem meriti vel » demeriti nisi in quantum est voluntarium. Igitur tam præmium » quam pœna convenienter ab anima derivatur ad corpus; non » autem animæ convenit propter corpus; ac proinde nulla ratio » est, quare in punitione vel præmiatione animarum exspectetur » resumptio corporum : quin magis conveniens videtur ut » animæ in quibus prius fuit culpa et meritum, prius etiam » puniantur vel præmientur. »

c) « Eadem Dei providentia creaturis rationalibus præmia » debentur et pœna, qua rebus naturalibus perfectiones eis » debitæ adhibentur; sic est autem in rebus naturalibus, quod » unumquodque statim recipit perfectionem cujus est capax, nisi

» sit impedimentum vel ex parte recipientis, vel ex parte agentis.
» Cum igitur animæ statim cum fuerint separatæ a corpore, sint
» capaces et gloriæ et pœnæ, statim utrumque recipient, nec
» differtur vel bonorum præmium vel malorum pœna quousque
» animæ corpora reassumant. »

V. Demonstratio *c)* **quoad animas plene justas.** 1° Quod animæ plene justæ statim post mortem in cœlum admittuntur clare constat e parabola Lazari et epulonis, de qua supra diximus. In ipsa non minus expresse docetur animam justi Lazari statim post mortem in cœlum receptam esse, quam animam epulonis statim post mortem sepultam esse in inferno.

Quod autem animæ justæ ante resurrectionem carnis, seu ab initio sui in cœlum ingressus, fruuntur visione Dei beatifica, docemur a S. Paulo, II. Cor. V, 6 et seqq. dicente : « *scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* » In primis enim constat quod in hoc textu locutio : *præsens esse ad Dominum* certe significat fruitionem visionis Dei beatificæ, nam Apostolus vocat hanc præsentiam : *ambulare per speciem*, eique opponit nostram in corpore seu in hoc mundo præsentiam, quam vocat *ambulare per fidem*. Sed hoc *ambulare per speciem* oppositum isti *ambulare per fidem* necessario significat visionem intuitivam eorum omnium quæ fide nunc cognoscimus, seu visionem intuitivam Dei, in qua omnia fidei puncta perfecte et in se cognoscentur; ergo indubium est, S. Paulum in hoc textu loqui de fruitione visionis Dei beatificæ. — De hac autem fruitione visionis beatificæ S. Paulus dicit, quod optat peregrinari a corpore, h. e. dissolvi seu mori, ut eam citius obtineat. Sed frustra in hunc finem optasset mortem, si putasset, justos nonnisi post resurrectionem carnis et non statim post mortem visione Dei intuitiva frui. Ergo credidit, justos, si nihil luendum

supersit, statim post mortem ad intuitivam Dei visionem admitti. Conferri hic potest textus qui habetur : Philipp. I, 21-23.

2° *e Traditione*. Plura habentur Traditionis Ecclesiæ capita, quæ supponunt animas plene justas ad visionem beatificam statim post mortem admitti, vel ex quibus hæc veritas saltem consequitur. Eam enim supponunt Patres, imo fideles et Ecclesia universa toties fere, quoties de sanctorum intercessione disserunt. Inde enim invocationis Sanctorum utilitatem et intercessionis efficaciam commendant, quod jam throno Dei assistant, visione fruantur. Dein hæc veritas etiam consequitur ex iis, quæ Patres docent de Christi ad inferos descensu, deque essentiali discrimine inter justos novi veterisque Testamenti. « Ex quo enim tempore, ait Gregorius » Thaumaturgus *(Oratio in omnes sanctos)*, primum Adamum secundus ex inferni fundo, tamquam Jonam ex ceto, » eduxit, ac illum, qui deceptus olim fuerat, cœli civem cum » magno deceptoris probro ac dedecore effecit : ex eo, inquam, » tempore obseratæ fuerunt inferni januæ, cœli vero fores » reseratæ liberum atque expeditum iis, qui cum fide illuc » ascendunt, aditum concedunt. » Jamvero si animæ plene justæ visione Dei non fruerentur, qualis, quæso, essentialis haberetur differentia inter justos veteris et novi Testamenti quoad statum post mortem. Si enim justi post Christi redemptionem ante judicium ultimum non Deum sed solam humanitatem Christi viderent, non possiderent essentialem beatitudinem cœli, quæ est visio beatifica; ac proinde essentiale discrimen non existeret inter justos novi veterisque Testamenti, quoad eorum statum post mortem.

3° *e ratione theologica*. Eædem rationes theologicæ, quas attulimus ad demonstrandum, quod animæ impiæ statim post mortem in infernum detruduntur, hic etiam valent.

VI. Objectiones. 1ª S. Scriptura, ait Calvinus, tam bonorum præmium quam malorum pœnam semper ad extremi

judicii diem refert. Ita Matth. XXV. ubi describitur universale judicium, plura sunt, quæ luculenter ostendunt, nullam fuisse antea factam gloriæ vel pœnæ retributionem. Nam primo tunc segregabuntur electi a reprobis; erant ergo antea commixti. Secundo dicitur regnum *præparatum* electis a constitutione mundi; ergo nondum erat collatum. Tertio ita judex sententiam feret : *Venite benedicti*, etc. et *discedite a me maledicti*, etc.; ac demum concluditur : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, ut constet, utrosque *primo ire,* non autem *redire* vel ad præmium vel ad pœnam.

R. Verum est in textu S. Matth. separationem justorum ab impiis, acceptionem regni cœlestis ejusque ingressum, quæ in judicio universali fient, describi uti res omnino novas, quæ antea nondum factæ sunt; ac proinde necessario ex eo concludendum est, haud aliam fieri homini ante mundi finem retributionem, quæ isti sit omnino similis. Atvero retributio mercedis et pœnæ, quæ statim post mortem fit, ab ista prorsus distincta est tum quoad subjectum retributionem accipiens, tum quoad circumstantias. Statim enim post mortem anima sola, in judicio autem ultimo totus homo, anima et corpore reassumpto constans, mercedem aut pœnam accipit. Dein statim post mortem retribuitur anima secrete, in judicio autem universali retribuitur homo publice coram omnibus hominibus, qui unquam fuerint. Ergo a textu S. Matth. nihil deduci potest contra existentiam retributionis, quæ statim fit post mortem.

Obj. 2ª. S. Scriptura, ubi de retributione mercedis aut pœnæ sermonem instituit, semper de judicio universali agit; jamvero ratio non habetur, ut de retributione statim post mortem facienda, si vere existat, taceat; ergo ex hoc loquendi modo Scripturæ, concludamus oportet, nullam mercedis aut pœnæ retributionem ante judicium ultimum fieri.

R. Imprimis falso asseritur de retributione statim post mor-

tem facienda in Scriptura sermonem non institui; nam, uti e supra dictis patet, e Scriptura plene demonstratur sententiam in particulari judicio latam statim executioni mandari. Præterea, ubi Scriptura, de retributione mercedis aut pœnæ loquens, de judicio universali agit, haud sine ratione id facit. Idcirco enim frequenter judicii universalis facit mentionem, quia in illo retributio post particulare judicium peracta confirmetur, promulgetur et consummetur, collato integro præmio vel pœna toti homini. Ergo ruit objectio.

Obj. 3ª. S. Patres, ait Burnet, magno consensu negant, sanctos ante judicium extremum beatifica Dei visione frui; jamvero quod semel magno cum consensu in Ecclesia creditum est, necessario est verum; ergo.

R. Negari nequit aliquos antiquos scriptores ecclesiasticos, quum opinioni Millenariorum adhærerent, etiam in eum incidisse errorem, ut putarent Sanctos beatifica Dei visione ante ultimum judicium non frui. Tales fuerunt Tertullianus, Lactantius, Victorinus; et juxta quosdam etiam S. Justinus et S. Irenæus. Verum ex altera parte certo constat S. Patres universim docere animas justas mox in cœlum recipi et visione Dei frui, uti liquet ex iis quæ supra de Patrum doctrina notavimus et ex innumeris testimoniis quæ Bellarminus collegit et in suo Libro *de Beatitudine et Canonizatione Sanctorum* attulit. Ergo in hac quæstione falso arguunt adversarii ex Patrum doctrina.

Instant adversarii dicendo, multos Patres, quos ut catholicam tenentes doctrinam recensemus, hanc doctrinam non tenere. Verum respondemus ipsos inniti textibus obscurioribus, qui duplici modo, orthodoxo nempe vel heterodoxo, intelligi per se possunt; jamvero ubi hujusmodi textus occurrunt in scriptore, qui locis in aliis suorum librorum communem catholicorum tenet doctrinam et ceteroquin catholicam tuetur fidem, haud sane licet hujusmodi textus pro adversaria parte citare, sed

catholico in sensu eos interpretari oportet. Atqui tales certe sunt textus, quos adversarii nobis objiciunt; ergo.

Instant rursus adversarii et dicunt hos textus catholico in sensu nullatenus accipi posse; sed hæc assertio est falsa. Etenim, uti e contextu liquet, sæpe non loquuntur Patres de *beatitudine ipsa* sed de *beatitudinis loco;* et inde, ubi dicunt animas plene justas nonnisi post carnis resurrectionem cœlum seu paradisum ingredi, et nunc reservari in sinu Abrahæ, seu in limbis, de beatitudinis loco finali intelligi possunt, et dicendi non sunt ipsam beatitudinem visionis beatificæ ante finem mundi negare. Præterea duplex distinguenda est beatitudo, alia *consummata et adæquata,* qua donatur anima simul cum corpore; alia *inadæquata et incompleta,* qua donatur anima a corpore separata. Jamvero Patres sæpe disserunt de beatitudine consummata et adæquata, et idcirco ubi negant plenam beatitudinem post particulare judicium non conferri, admitti haud debet, ab ipsis negari quod animæ plene justæ ante judicium ultimum visione beatifica fruantur.

Quibus omnibus attentis, liquet ex Patrum doctrina nullatenus infirmari assertionem, qua dicimus animas plene justas statim post mortem frui beatifica Dei visione.

Obj. 4ª. S. Pontifex Joannes XXII, aiunt adversarii, sententiam, quod Sancti ante judicium universale Deum facie ad faciem non vident, acriter defendit, Theologis tenendam præscripsit, et pontificio oraculo confirmavit. Ergo vel admittendum est, hanc sententiam veram esse; vel dicendum, Romanum pontificem ex cathedra loquentem errasse.

R. Solutio hujus difficultatis traditur in prælectionibus Historiæ Ecclesiasticæ, ubi ostenditur Joannem XXII non modo nullam hac de re definitionem edidisse, sed etiam neque ut privatum doctorem adversariorum opinioni aut adhæsisse aut etiam præbuisse auxilium.

VII. Nota. Quæ hic diximus de animarum plene justarum

admissione ad visionem beatificam statim post particulare judicium, tantum valent de hominibus qui post satisfactionem a Christo præstitam sunt mortui. Antea enim animæ plene justæ in cœlum ad visionem Dei non admittebantur, sed reservabantur in limbo, ubi Christi redemptionem exspectabant.

CAPUT TERTIUM

De Inferno

Prænotanda. Uti ex dictis colligitur, ante judicium universale tria receptacula seu tres sunt sedes animarum defunctorum. Animæ enim, quæ in peccato mortali ex hac vita migrant, detruduntur in *infernum*; animæ gratia sanctificante ornatæ, sed tamen nondum plene puræ, descendunt ad *purgatorium*; et animæ plene justæ admittuntur in *cœlum*. Sub *inferni* autem nomine veniunt tum *infernus proprie dictus*, in quem detruduntur illi omnes qui in peccato mortali actu proprio commisso moriuntur, tum *limbus*, qui destinatus est iis, qui solo originali peccato inquinati decedunt. Nunc autem disseremus de statu animarum in diversis istis locis degentium; et in primis agemus de *inferno*, scilicet de inferno proprie dicto, qui communiter hac sola voce exprimi solet.

Inferni igitur nomine intelligimus, locum seu statum in quo dæmones et homines, in peccato mortali actu proprio commisso mortui, summis puniuntur suppliciis. Ut autem plenam de eo obtineamus scientiam, inquirere debemus, *an sit* infernus, seu an vere existat; ac dein *quid sit* seu quænam sint qualitates ejus; nimirum in quo consistant ejus pœnæ; utrum sint diversæ pro diverso impietatis gradu puniendo, an vero in omnibus damnatis æquales; utrum sint æternæ an vero temporariæ; et in quo statu sint damnati quoad intellectus et voluntatis operationes.

§ I.

Q. An infernus vere existit?

R. *Fides docet dari infernum seu locum tormentorum in quo animæ in actuali peccato mortali decedentes puniuntur.*

—

I. **Gradus certitudinis**. Hoc responsum est *de fide*, uti jam diximus : res enim hisce verbis definita fuit a Benedicto XII in bulla supracitata : « Definimus quod secundum Dei ordinatio» nem communem animæ decedentium in actuali peccato mor» tali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis » infernalibus cruciantur. » — Locutio *actuale peccatum* uti per se liquet, hic opponitur peccato originali, et significat peccatum actu proprio commissum.

II. **Demonstratio** : 1° *e S. Scriptura*. De inferni existentia plurima exstant Scripturæ testimonia; satis erit sequentia citare utpote clarissima. Christus Dominus Matth. X, 28, dicit : » *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* » Nomine autem *gehennæ* intelligi infernum, communi consensu tum a Judæis tum a Christianis admittitur. Origo autem hujus nominis hæc est : nominabatur *gehenna* vallis quædam prope Jerusalem, in qua Judæi idololatræ filios suos combustione Moloch immolabant. Pius vero rex Josias, ut hæc crimina impediret, jussit in hunc locum projici et ibi comburi cadavera, stercora et res omnis generis immundas (4. Reg. XXIII, 10.); et id usu postea constanter continuatum est, ita ut continuus ibi adesset ignis ad comburenda cadavera, ossa reliquasque sordes. Inde autem ex horrore hujus loci et perpetuo ejus igne factum est, sicuti facile intelligitur, ut locus, in quo impii pœnas post mortem sustinent, appellatus sit *gehenna*.

Præterea in parabola de epulone divite, qui sepultus est in

inferno, graphice describit Dominus inferni pœnas (Cfr. Luc. XVI, 19); et Matth. XXV, 41, nunciat se in judicio ultimo dicturum : « *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* »

2° *e Traditione.* S. Patres, uti omnes admittunt, existentiam inferni una voce docent. Sufficiet nobis citare antiquissimum testimonium S. Ignatii M. ad Ephesios. « Ne erretis » fratres mei; ait, fœminarum corruptores regnum Dei non hæ» reditabunt. Si autem ii, qui secundum carnem hæc operati » sunt, morte sunt affecti, quanto magis, si quis fidem Dei prava » doctrina corrumpat, pro qua Jesus-Christus crucifixus est. » Talis inquinatus factus in ignem inextinguibilem ibit; similiter » et qui audit ipsum. »

3° *e ratione theologica et simul philosophica. a)* Fides et etiam ratio docent Deum esse legislatorem et dominum sapientissimum, justissimum et sanctissimum; jamvero hæc omnia de Deo sunt neganda, si negetur existere infernum; ergo.

Imprimis Deus non esset legislator sapientissimus. Etenim qui leges condit, debet eas sancire pœna, quam non solum minatur sed et infert legis violatoribus; nam de essentia legis est, ut per veras sanciatur pœnas. Atqui non habetur sufficiens legum divinarum sanctio per pœnas quas homines in hac vita patiuntur, cum multæ harum legum violationes inultæ hic remaneant. Ergo ut Deus dici possit legislator sapientissimus, admittendum est, ab Ipso pœnam in altera vita luendam pro iniquis esse reservatam.

Dein Deus neque esset dominus sanctissimus. Etenim qui plenissime est sanctus, indifferenter se habere non potest ad virtutem et vitium. Sed Deus foret omnino ad virtutem et vitium indifferens, si impœnitentes legum suarum violatores nullis in altera vita affligeret pœnis; imo tali modo foveret vitia. Ergo.

Tandem Deus etiam non esset dominus justissimus. Justitia enim postulat ut dominus servo fideli præmium tribuat, pœnam

vero servo infideli infligat. Jamvero multi, qui peccaverunt, abeunt de hoc mundo impunes; et multi, qui in virtute vixerunt, hinc recedunt nulla mercede accepta. Ergo.

b) Quam intime cum fidei doctrina et rationis dictamine dogma existentiæ inferni connectatur, etiam sequitur ex unanimi humani generis de inferni existentia consensu. Hic enim consensus omnibus veritatis conditionibus est stipatus : existit nempe apud omnes gentes a primæva mundi ætate usque ad hodiernam diem; versatur circa doctrinam homini nullatenus gratam, imo pravæ ejus inclinationi admodum ingratam; ac eos tantum habuit adversarios, qui vitæ probitate se non commendant. Sane nemo auderet dicere hujusmodi consensui posse falsum subesse. Sed si verus est, necessario cum rationis principiis et primitivæ revelationis doctrina est connexus, utpote ex eis ducens originem. Ergo.

§ II.

Q. QUÆNAM SUNT DAMNATORUM PŒNÆ IN INFERNO?

R. *Damnati subjiciuntur in inferno tum pœnæ damni, in privatione æternæ beatitudinis cœli sitæ, tum pœnæ sensus directe malum physicum infligenti, cujus præcipuum instrumentum est ignis verus et materialis, non modo corpora post resurrectionem, sed nunc etiam damnatorum animas, sicut et dæmones, veris licet miris modis, torquens.*

I. Explicatio responsi. Observetur : 1° per *damnatos* eos solos hic intelligimus, qui ex hac vita cum mortali peccato personali seu actu proprio commisso decesserunt.

2° Duplex pœna juxta responsum distinguenda est in inferno : *pœna damni* h. e. privationis, quæ consistit in privatione beatificæ Dei visionis et cæterorum bonorum, quæ Deus Sanctis suis præparavit; et *pœna sensus,* quæ complectitur omnem pœnam positivam, excepta pœna damni, vi legis positivæ damna-

tis illatam et naturali inclinationi ingratam, seu malum physicum infligentem.

Nomen autem pœnæ *sensus* inde oritur, quod nempe damnatus eam in se existentem experitur per sensum intimum, et etiam post resurrectionem per sensus corporis. — Per pœnam igitur damni privatur homo beatitudine supernaturali sibi a Deo destinata, sed in naturæ suæ bonis directe non læditur; per pœnam autem sensus directe læditur in naturæ suæ bonis. Quocirca comparari potest pœna damni privationi alicujus muneris honorifici in præmium a rege promissi, quod quis ob delictum in regem commissum non obtinet; pœna autem sensus flagellationi aut simili pœnæ ob delictum inflictæ.

3° Explicatur jam in responso, in quo præcipue pœna sensus consistat. Dicitur nempe eam præcipue consistere in igne, eoque non metaphorico sed vero et materiali, non modo corpora post resurrectionem, sed etiam nunc animas et dæmones cruciante.

II. Gradus certitudinis. *De fide* est damnatos in inferno privationi visionis beatificæ et acerbissimis pœnis subjici, cum id aperte sit contentum in Ecclesiæ definitionibus atque in Scripturæ et Patrum doctrina. Verum in inferno haberi pœnam sensus a pœna damni distinctam, et hanc pœnam præcipue in igne vero et materiali consistere, non est de fide, sed *theologice certum*, utpote ab Ecclesia non definitum nec in fidei fontibus evidenter contentum, verum e fidei fontibus cum communi theologorum consensu clare deductum.

III. Errores. Inferni pœnas modo descriptas negant inprimis materialistæ, quippe qui doceant hominem totum in morte interire. — Rationalistæ quoque eas respuunt, et dicunt, pœnas impiis post mortem reservatas, a nobis cognosci non posse. « Les conditions de la vie future, ait Tiberghien in libro suo, jam » citato, pag. 124, sont dérobées à nos regards. » — Materialem ignem in inferno haberi, negasse videtur Origines, et certo nega-

vit Calvinus; nam expresse ipse asserit, ea quæ in Scriptura de igne inferni dicuntur, esse metaphoricam locutionem.

IV. Demonstratur existentia pœnæ damni : Hanc pœnam damnatis infligendam esse, manifeste docet S. Scriptura. Ita apud S. Matt. XXV, 41, legitur Christum in judicio universali ad damnatos dicturum : « *Discedite a me maledicti;* » quæ verba non possunt intelligi de discessu a Deo omnipræsente, sed significant privationem visionis beatificæ et omnimodam separationem a gaudiis cœlestibus. Pariter S. Paulus I. Cor. VI, 9, scribit : « *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possi-* » *debunt?* » — Patres, uti omnes fatentur, eodem modo ac Scriptura de hac quæstione loquuntur. — Præterea ratio theologica id etiam clare probat : quomodo enim fieri posset, ut merces justis promissa, qualis est cœlum, injustis concederetur?

V. Demonstratur existentia pœnæ sensus : 1° *e S. Scriptura.* Damnatos non solum privatione cœli puniri, sed insuper in natura sua directe malis affici, clare docent SS. Litteræ. Ita Christus Dominus prænuntiavit se damnatis in ultimo judicio dicturum esse (Matth. XXV, 41) : « *Discedite a me maledicti* » *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* » Jamvero hisce verbis certe indicitur damnatis præter pœnam separationis a gaudiis cœlestibus, pœnam scilicet damni, alia pœna positiva a pœna damni distincta, et naturali inclinationi ingrata : verba enim : *in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus,* sive proprie sive metaphorice intelligantur, necessario hujusmodi pœnam significant, uti per se liquet. — Addi potest iste textus S. Marci, IX, 42-43, in quo Christus dicit : « *Bonum est tibi debilem introire in vitam,* » *quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem* » *inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis* » *non extinguitur.* » Hæc etiam inferni descriptio, sive proprie sive metaphorice sumatur, sane ostendit in inferno damnatum non tantum privatione cœli sed etiam aliis pœnis positive a Deo

inflictis et naturali inclinationi ingratis affligi. — Observetur in his textibus vocem *ignis* in metaphorico sensu accipi non posse, uti mox probabimus.

2° *e Traditione*. SS. Patres docuisse præter pœnam damni etiam pœnam sensus in inferno haberi, plene constat ex eorum testimoniis, quæ mox afferemus, ubi demonstrabitur quod ipsi tenent non metaphoricum sed verum et materialem ignem in inferno damnatos torquere.

3° *e ratione theologica*. Præter pœnam damni etiam pœnam sensus in inferno haberi, ita demonstrat ratio fide illustrata. *a)* Sola pœna damni non sufficit ad actuale peccatum mortale condigne puniendum : etenim qui mortaliter peccat, tum gratiam sanctificantem a se removet, tum naturalibus suis facultatibus abutitur, et idcirco affligendus est pœna, quæ tum gratiæ sanctificantis privationi, tum naturalium facultatum abusui respondeat. Jamvero pœna damni, seu gloriæ cœlestis privatio, respondet quidem privationi gratiæ sanctificantis, cujus gloria cœlestis est consummatio; sed naturalium facultatum abusui non respondet, nam gloria cœlestis est donum supernaturale naturæ humanæ prorsus indebitum, ac proinde qui hac sola pœna affligitur, non punitur in naturalibus suis bonis, sed naturalem beatitudinem servat. Ergo præter pœnam damni requiritur in inferno pœna sensus, quæ in damnato naturalem beatitudinem destruat, et ita naturalium facultatum abusui respondeat. — Confirmatur maxime hæc ratio sequenti animadversione : estne æquum, ut pueri sine baptismo decedentes et solo originali peccato inquinati eadem puniantur pœna, ac isti, qui personale commiserunt peccatum mortale? Jamvero si non haberetur in inferno nisi pœna damni, eadem punirentur pœna, cum et ipsi certe e cœlo excludantur. — S. Thomas addit et hanc animadversionem : Si quis, ait, eo quod est ad finem, inordinate utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit, uti patet ex cibo inordinate assumpto,

qui non solum sanitatem non affert, sed insuper morbum inducit. Jamvero qui in rebus creatis finem constituit, eis non utitur secundum quod debet, eas referendo scilicet ad ultimum finem. Ergo non solum debet puniri per hoc, quod beatitudine careat, sed etiam per hoc, quod aliquod nocumentum ab ipsis experiatur. *(Summa contra Gent.* L. 3; c. 145.)

b) Etiam pœna damni haud per se solam sufficeret ad obtinendum hunc universalem pœnæ finem, nos nempe pœnarum timore a peccatis retrahere, quem Deus, ut sapiens legislator, in statuendis inferni pœnis certe intendit. Etenim nullus amittere timet, quod obtinere non cupit; et ideo nullus a peccatis retrahetur timore ea perdendi quæ non desiderat. Jamvero, qui peccat mortaliter, libera electione a bonis cœlestibus se avertit, seseque ad alia bona convertit; ac proinde cœlum obtinere non cupit. Ergo ut timore pœnarum a peccatis retrahamur, non sufficit pœna damni in privatione cœli consistens, sed insuper requiritur alia pœna, quæ nos in istis bonis, per peccatum quæsitis, torqueat, et ita necessario timorem incutiat : hæc autem est pœna sensus.

VI. Demonstratur pœnam sensus præcipue consistere in igne vero et materiali : 1° *e S. Scriptura.* Pœnam sensus præcipue in igne consistere evidenter e S. Scriptura constat, nam in ea ignis commemoratur semper aut fere semper solus, ubi de inferno fit sermo; atque insuper uti constat ex textu Matth. XXV, 41, supremus judex in judicio ultimo infernum sub solo nomine *ignis* designabit in sententia contra damnatos proferenda : *Discedite a me maledicti, in ignem æternum.* — Verum de quo igne agit Scriptura; utrum de igne vero et materiali, an autem de igne metaphorico, ita ut sub symbolo ignis exprimantur conscientiæ stimuli et desperatio, quæ aliquatenus igni consumenti comparari possunt? Affirmamus Scripturæ testimonia de vero et materiali igne esse intelligenda; quod ita demonstramus.

a) A propria verborum significatione sine seria ratione recedere non licet. Jamvero pœnæ inferni constanter vocabulo *ignis* designantur; et nulla habetur ratio, ut hic a proprio recedatur sensu dum contra multa pro hoc sensu militant, uti inprimis frequens vocis *ignis* usus (Matt. XIII, 42; XXV, 41; Marc. IX, 42-47; Apoc. XIX, 20; XX, 9), in omni de inferno loquendi genere, in familiari, dogmatico et historico. De iis enim rebus, quæ proprie significari possunt, non solet semper et ubique metaphoricus institui sermo, quin saltem aliquando declaretur locutionem esse metaphoricam aut metaphora explicetur. Præterea unica ratio a sensu proprio recedendi hic esset difficultas explicandi modum, quo ignis animam, quæ spiritualis est, torqueat. Sed hæc ratio nullius est momenti nam quamvis modum, quo anima separata igne torqueatur, haud plene intelligamus, nullam tamen in hoc facto videmus repugnantiam, uti infra demonstrabimus. Tandem si *ignis* metaphorice intelligatur, jam implicite negatur existentia pœnæ sensus, quod est contra doctrinam catholicam. Etenim ignis certe nihil aliud metaphorice significare potest ac stimulos conscientiæ et desperationem; jamvero hujusmodi pœna in pœnam damni reincidit, cum ex privatione cœli necessario maximi conscientiæ stimuli summaque desperatio oriantur, et aliam fundamentalem pœnam sensus assignare adversarii non possint.

b) Probatur etiam ex Matth. XXV, 41 : « *Discedite a me,* » *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et* » *angelis ejus.* » Etenim in hoc textu *ignis* exhibetur a Christo ut locus, ad quem damnati discedent, et qui paratus est a Deo in peccati vindictam. Sed conscientiæ stimuli et desperatio sane neque solent neque recte possunt sub symbolo loci punitionis in vindictam parati describi. Ergo.

Opponitur quidem in S. Scriptura commemorari cum igne *vermem* qui non moritur; jamvero vermis ab omnibus metaphorice sumitur; cur igitur eodem sensu non poterit sumi ignis?

Sed respondemus : in uno tantum loco (Marc IX, 43, 45 et 47), occurit vox *vermis*, et ideo facillime metaphorice sumi potest; sed vocabulum *ignis* ubique occurrit, et ideo metaphorice non potest accipi.

2° *e Traditione.* Ignem præcipuam esse inferni pœnam, eumque esse verum et materialem clarissime demonstratur ex Patribus. Ubi enim de inferni pœnis sermonem habent, semper præter pœnam damni præcipue ignem commemorant; et quod intelligunt ignem verum et non metaphoricum tantum, aperte ex contextu liquet. Talia nempe addunt apposita et comparationes, quæ metaphoram omnem ab hoc igne excludant. Ita tamquam mirum quid affirmant, ignem illum urere et non lucere, ut S. Basilius, qui in Ps. 28, n. 6 hæc habet : « Ignem, » qui diabolo et angelis ejus in supplicium paratus est, voce » Domini intercidi reor, ut cum duæ sint in igne facultates, » quarum una comburit, altera illustrat, ignis quidem asperitas » atque torquendi proprietas iis, qui adustione digni sunt ser- » vetur, illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum, » qui lætam et beatam vitam acturi sunt, destinetur. » Comparant dein ignem inferni ut verum ignem cum nostro igne terrestri; Lactantius enim dicit *Div. Inst.* L. 7, c. 21 : « Ignis » sempiterni natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitæ » necessaria utimur, qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, » extinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit ac viget » sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est » purus et liquidus et in aquæ modum fluidus. » Præterea quærunt quo pacto ignis materialis spiritus torquere possit. S. Augustinus ita hanc possibilitatem illustrat, *De Civit. Dei* L. 21. c. 10 : « Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris » modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis » affligi? Si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, » et nunc potuerunt includi in corporalibus membris, et tunc » poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.

» Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmo- » num (notetur tempore S. Augustini aliquos putasse dæmones » habere corpus aëreum) imo spiritus dæmones, licet incorporei, » corporeis ignibus cruciandi. » Pariter S. Gregorius Magnus in *Dial. Lib.* 4 c. 28, 29, dicit. « Si viventis hominis incor- » poreus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum » incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne tenetur... Ignem » gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est » corpora cruciari. »

VII. Quæstiones subsidiariæ ad naturam pœnarum inferni magis exponendam.

Q. I. *Utra pœna major est, an damni, an sensus?*

R. SS. Patres docent incomparabiliter majorem esse pœnam damni, quippe quæ damnatum privet bono incomparabiliter majori, felicitate nimirum vere divini ordinis, quam illud quo privat pœna sensus. S. Chrys. enim dicit *Hom.* 23, *in S. Matth. n.* 8 : « Intolerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat? et » supplicium illud horribile. Tamen si quis mille ponat gehen- » nas, nihil tale dicturus est quale est, ex beata illa gloria » excidere, Christo exosum esse, et audire ab illo : Non novi » vos. » — Quod si homines in hac terra carentia cœli non graventur, minime inde concludi potest, id æque contingere apud defunctos. Quamdiu enim sumus in terris, non possumus beatitudine cœlesti frui, neque intelligimus quantum sit hoc gaudium cœli. Verum damnati, Deo eos instruente, norunt quanta sit cœlestis beatitudo, sciuntque eam sibi esse destinatam, sed vident se a summa beatitudine illa exclusos sua culpa, cum tam facile potuissent eam lucrari. Hinc autem nascitur summa afflictio, quæ summum damnatorum est tormentum. Ergo relate ad beatitudinem cœlestem damnati se habent uti principes qui sua culpa amœnissimo regno, quod maxime desiderant et sua culpa amiserunt, orbati maximo inde affliguntur dolore; homines autem in terra ad eam se habent,

uti juniores hæredes regni, qui regnum quidem nondum possident, sed ne desiderant quidem illud possidere, tum quia nondum norunt quam amœnum sit, tum quia illud possidere non possunt, atque ex ista regni privatione minime sunt afflicti.

Q. II. *An præter ignem dantur in inferno aliæ pœnæ sensus; et quænam sunt?*

R. Commemorantur a S. Scriptura et a Patribus præter ignem etiam sequentes pœnæ sensus : 1° *vermis qui non moritur* (Marc. IX. 43), i. e. remorsus conscientiæ, qui tamquam corporalis vermis ex putredine peccati oritur et viscera animæ quasi exedit. Intelligitur autem remorsus conscientiæ ab afflictione, quæ ex pœna damni oritur, distinctus; hic nempe orietur ex memoria et intelligentia, a Deo ipso excitatis, malitiæ peccatorum commissorum, et stultitiæ in peccando admissæ.

2° *Societas damnatorum,* quæ talis sane est ut nullam consolationem adferat, sed mœrorem summopere augeat.

3° *Tenebræ* (Job X, 21), quæ probabiliter consistent tum in obscuratione intellectus, tum etiam post resurrectionem corporum in obscuratione externa. Attamen intelligenda non est obscuratio plena, sed potius talis quæ unice existit pro rebus jucundis, ita ut damnati a rebus horrendis et felicitati nocivis apprehendendis nulla ratione sint impediti.

Probabile etiam est varia existere in inferno specialia tormenta pro variis peccatis, ita ut alii fame, alii siti, alii fetore torqueantur. Ob tot autem et tantas pœnas, quæ in inferno habentur, recte a S. Scriptura dicitur in eo esse fletum et stridorem dentium, qua locutione summa exprimitur afflictio et desperatio.

Q. III. *An ignis inferni igni terrestri similis est?*

R. Habet quidem eamdem ac ignis noster naturam, sed qualitates multas habet proprias, haud secus ac cæteræ res omnes ad alteram vitam pertinentes. Etenim præsens ignis lucet, infernalis autem tenebras parit; ille inflammando dissolvit, hic urit

sed non destruit; ille nonnisi mediante corpore in animam agit, hic eam etiam sine corporis medio torquet; ille humana arte imminui et extingui potest, hic autem conatus humanos omnes eludit. Cum nihil habeatur in terra quod magis cruciet quam ignis, sane ignis ille inferni a furore Dei accensus ad peccatum digne puniendum, in cruciandi vi omne superat quod excogitare possumus.

Q. IV. *Quomodo ignis materialis spiritus in inferno torquet?*

R. Varie ab auctoribus resolvitur hæc quæstio; nec mirum, cum in fidei fontibus nihil de ea habeatur, et nonnisi pauca de modo, quo materia in spiritus agere possit, cognoscamus. Nullam tamen in hoc facto repugnantiam videt ratio, uti liquet ex ipsis sententiis per theologos propositis.

S. Thomas *in* 4. *Sent; Dist.* 44. *q.* 3. *a.* 4, relatis aliorum opinionibus, ita concludit: « hoc superadditur igni corporeo, in » quantum est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis, quod » detinet spiritum; et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab » executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi » vult, et secundum quod vult. »

Lessius cum multis aliis istam sententiam putat esse insufficientem, et *L.* 13 *de perf. div. c.* 30 sequentem proponit, quæ omnino recta videtur. Advertit nempe animam posse ignem pati, quando est in corpore; animam esse principium sentiens quamvis mediante corpore; vim sentiendi non distingui ab animæ essentia; et proinde manere post mortem, licet tunc actum suum ponere non possit; vim intelligendi in dæmonibus eminentiori modo circa objecta sensibilia præstare, quod præstat sensus per corpus et in corpore; objecta externa, etiamsi per se uti causa completa non possint naturaliter in spiritum agere, aut illi aliquam imprimere qualitatem, posse tamen concurrere, ut causam partialem cum actione spiritus ad producendum in ipso actum: et his positis dicit: « Si ignis naturaliter per suum » calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore,

» cur idem ignis ut instrumentum Dei non poterit affligere » eumdem spiritum sine ullo corpore medio? Corpus enim solum » se habet ut medium, per quod immediate calor spiritui appli- » catur, ut ejus præsentia vi sentiendi percipiatur. Deus autem » non eget aliquo medio, sed facile omnem medii effectum et de- » fectum supplere potest. » Huic explicationi omnino consentire videntur S. Augustinus et S. Gregorius in textibus n. VI citatis.

Q. V. *Ubi est infernus?*

R. Suarez *De Angelis* L. 8. c. 16 hæc statuit : « Quod infer- » nus sit sub terra dubitandum non est propter communem » sensum Patrum ita intelligentium Scripturas, quæ semper de » inferno tamquam de *loco inferiori* hoc mundo visibili lo- » quuntur, et ideo motum in infernum semper *descensum* » appellant. » Propter hanc communem Patrum sententiam S. Augustinus, cum *De Civ. Dei* L. 20, c. 26 dixisset : « Cujus- » modi sit ignis inferni et in qua mundi vel rerum parte futurus » sit, hominem scire arbitror neminem nisi forte cui divinus » Spiritus ostenderit; » hæc retractans L. 2. *Retract.* c. 26 scribit : « De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod » *sub terris* sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse » credantur. »

Si quæratur, quomodo, cum ignis inferni in loco determinato sit, dæmones in mundo ad homines tentandos degentes, igne infernali torqueri possint, dicendum videtur, ipsos, Deo ita efficiente, semper in mundo secum ferre illam afflictionem et pœnam, quam ignis infernalis producit.

§ III.

Q. Utrum pœnæ inferni sunt in omnibus damnatis æquales, an vero diversæ pro diverso impietatis gradu?

R. *Sunt inæquales pro diverso impietatis gradu.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *theologice certa;*

ab Ecclesia quidem ut de fide definita non est, sed clare cum unanimi theologorum consensu e fidei fontibus deducitur.

II. Demonstratio. 1° *e S. Scriptura.* Christus Dominus, referente Matth. X, 15, dixit : « *Tolerabilius erit terræ Sodo-* » *morum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati* » (quæ rejicit Apostolos fidem prædicantes); ergo gravior supplicii sententia est ferenda in die judicii in illos, qui gravius peccarunt.

2° *e Traditione.* Hanc veritatem bene illustrat S. Gregorius *Dial.* L. 4, c. 43 : « Sicut sub uno sole, ait, multi existunt, nec » tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius » plus æstuat atque alius minus : ita illis in uno igne non unus » est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, illic » hoc agit diversitas meritorum. »

3° *e ratione theologica.* Id exigit Dei justitia, quæ unicuique reddit secundum opera sua, uti dicit S. Paulus ad Rom. II, 6; jamvero alius damnatus gravius, alius minus graviter deliquit; ergo. — Præterea id sequitur quoque ex diversitate mercedis in cœlo juxta meritorum diversitatem, de qua infra; si enim Deus aliam atque aliam dat mercedem pro vario meritorum gradu, debet quoque aliam atque aliam infligere pœnam, pro vario gradu demeritorum; nam pro utroque eadem stat ratio.

§ IV.

Q. Utrum pœnæ inferni sunt æternæ, an vero temporariæ?

R. *Pœnæ inferni sunt æternæ, seu semper sine fine duraturæ.*

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *de fide.* Continetur enim in multis fidei documentis ab Ecclesia editis, et totis verbis habetur in symbolo S. Athanasii : « Qui bona egerunt, ibunt » in vitam æternam, qui vero malum in ignem æternum. Hæc » est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque

„ crediderit, salvus esse non poterit. „ Præterea luculentissime etiam continetur in fidei fontibus.

II. Errores. Æternitas pœnarum inferni, cum pravæ inclinationi naturæ nostræ minus placeat, ab initio Ecclesiæ fuit impugnata, et etiam nunc impugnatur. S. Augustinus in *De Civ. Dei,* L. XXI, c. 17, jam refert suo tempore multos fuisse, qui hanc æternitatem negarent; et ab ista ætate ad modernam epocham, historia teste, semper fuerunt qui hoc dogma impugnaverint. Non omnes tamen una ratione permoti fuerunt. Alii nempe pœnarum æternitatem negabant, quia docebant animas non esse immortales; alii, quia animas impiorum post aliquod tempus destruendas esse autumabant; alii, quia ex Dei misericordia concludebant in inferno adhuc pœnitentiæ locum dari.

Recentiori tempore hoc dogma negarunt multi Protestantes. necnon multi pseudo-philosophi sæc. XVIII, uti Petrus Bayle, Voltaire, Lockius, Rousseau; et post ipsos fere omnes moderni rationalistæ. Isti autem omnes hac ratione præcipue nituntur, quod, uti aiunt, pœna æterna cum variis Dei attributis pugnet, et pœna, cum e sua essentia ad deliquentis emendationem instituenda sit, nunquam possit esse æterna.

Inter modernos rationalistas citabimus Tiberghien, qui in libro suo supracitato : *Morale universelle* etc., de pœnarum infernalium æternitate hæc habet : postquam dixit pag. 124 : « c'est pour enseigner aux hommes la sainteté de la vie morale, „ que les conditions de l'âme dans la vie future sont dérobées à „ nos regards; „ de statu impiorum sequentia docet : « Tout mal „ moral doit trouver son châtiment et doit s'éteindre dans „ l'expiation. Faire triompher le bien sur le mal, voilà la „ destinée.... La destinée et la félicité terrestre se complètent „ dans l'autre vie (pag. 164).... „ « L'amendement du coupable „ est le but moral de la peine. C'est par là que le châtiment se „ distingue de la vengeance. Se venger, c'est rendre le mal pour „ le mal. Dieu ne se venge pas. Il est la bonté, il est l'amour, il

„ est la miséricorde, il n'est pas la vengeance. La justice hu-
„ maine est aujourd'hui en harmonie avec la charité la plus
„ pure. La justice divine n'est pas moins parfaite.... A tout
„ péché miséricorde. Dieu ne veut pas la mort du pécheur, mais
„ sa conversion (pag. 178 et 180). „ Auctor textus Scripturæ de vita præsenti agentes vitæ futuræ hic applicat.

Tota autem hæc doctrina ex auctoris systemate *pantheistico* seu *panentheistico* (h. e. omnia in Deo), uti ipse systema suum vocat, immediate fluit. Non enim admittit Deum esse ens perfectissimum et infinitum a rebus finitis vere distinctum, sed ut Deum tantum admittit *esse indeterminatum universale* et *abstractum;* „ Dieu, ait pag. 183, n'est pas une *réalité* déterminée
„ opposée à une autre; il est la réalité même. „ Neque admittit entia finita, seu mundum, a Deo esse creata seu ex nihilo facta, sed dicit ea omnia e Deo emanare sicut color fluit e sole; „ Dieu,
„ ait pag. 193, est au monde comme la lumière est aux couleurs.
„ Nier Dieu, c'est nier la raison des choses, c'est nier la lumière
„ d'où proviennent les couleurs, c'est nier l'Être, d'où procèdent
„ les êtres. „ Inde autem sequitur 1° revelationem non haberi neque haberi posse, cum Deus determinatus, qui ad nos loqui possit, non existat; et proinde rationem solam esse nostrum ducem; 2° hominem post mortem aliud judicium non subire quam illud conscientiæ suæ, cum Deus a rebus finitis distinctus non existat; atque idcirco etiam aliam exspectandam non esse mercedem aut pœnam quam bonum aut malum conscientiæ testimonium, cum judex non sit qui aliam pœnam infligat, aut aliam tribuat mercedem; 3° statum mercedis et pœnæ non stabilem sed essentialiter esse mutabilem et idcirco non esse æternum; siquidem in isto statu homo sibi relinquitur, haud secus ac in hac vita : juxta ipsos enim nemo est qui statum stabilem indicere possit, et homo sicuti cætera entia finita evolutionis legi submittitur; inde indefinite est perfectibilis et perficiendus.

III. Demonstratio: 1° *e S. Scriptura. a)* S. Scriptura expresse

dicit inferni pœnas esse *æternas* : ita Matth. XXV, 41, 46 legitur : « *Discedite a me maledicti in ignem æternum... Et* » *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam* » *æternam.* » Jamvero in hoc textu vox *æternus* non in improprio sensu, in quo tantum significat longam durationem, sed in sensu suo proprio, in quo durationem, quæ non habeat finem, exprimit, accipienda est. Etenim voces semper in sensu suo proprio sunt sumendæ, nisi solida ratio, uti contextus, vel subjecta materia, vel clara doctrina in alio ejusdem scripti loco occurrens, metaphoricam explicationem exigat. Atqui nulla hujusmodi ratio, metaphoricam exigens explicationem, hic proferri potest; e contra contextus contrarium aperte postulat; nam in citato textu pœna inferni eodem modo dicitur æterna, ac merces cœli, quæ certe est vere æterna. Ergo.

b) S. Scriptura dicit has pœnas duraturas esse in *sæcula sæculorum;* ita Apoc. XX, 9, 10, legitur : « *diabolus, qui* » *seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris,* » *ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte* » *in sæcula sæculorum.* » Jamvero locutio : *in sæcula sæculorum* constanter in Scriptura significat durationem, quæ finem non habeat, seu veram æternitatem. Ita Apoc. XXII, 5, de æterna felicitate electorum; Phil. IV, 20, et aliis multis in locis de æterna gloria Dei; Apoc. I, 18, de vita immortali, qua Christus post resurrectionem suam fruitur; Apoc. XI, 15, de æterno regno Christi; Apoc. IV, 9, de æterna Dei vita dicitur. Ab hac autem constanti significatione recedere sane non licet; maxime cum nulla hic proferri possit ratio, quæ id exigat. Ergo.

c) S. Scriptura dicit ignem inferni esse *inextinguibilem* et vermem damnatorum *non esse moriturum.* Ita Marc. IX, 42, 43 legitur : « *bonum est tibi debilem introire in vitam* » *quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem* » *inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis* » *non extinguitur.* » Jamvero hæ locutiones certe de se expri-

munt durationem perpetuam; nec ulla ratio adest ut metaphorice intelligantur; e contra contextus sensum proprium postulat, nam in citato textu opponitur malum temporarium, amittere scilicet manum suam, æterno malo gehennæ, et docetur malum mundanum, cum gehennæ malo collatum, esse contemnendum, cum istud tantum sit temporarium dum malum gehennæ sit æternum. Ergo.

d) S. Scriptura tandem dicit tam infelicem esse damnatorum sortem, ut melius pro ipsis esset non subsistere, quam subsistere. Ita Matth. XXVI, 24, Christus de infelici sorte, quæ proditori suo est parata, dicit : « *væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* » Jamvero, si pœnam inferni non æternam sed temporariam supponamus, verum non esset quod damnatis melius esset non subsistere, cum post aliquod tempus æternam felicitatem obtinere possent. Non enim hæc punitio quæ tandem aliquando finem habebit, et cui perpetua succedet felicitas, sed ista, in qua nulla liberationis spes habetur, dicenda est sors plene infelix. Ergo.

2° *e Traditione.* Dogma de inferni æternitate jam invenimus a primis sæculis in scriptis Patrum clare propositum. Ita Theophilus Antiochenus, *ad Autolicum* dicit : « Deo fidem habeo, » lubenti animo ei obtemperans, cui te quoque hortor, ut obe- » dias, ne si nunc incredulus es, aliquando credere cogaris » magno tuo malo, subditus pœnis sempiternis. » S. Cyprianus pœnarum æternarum inferni comminatione fideles ad pœnitentiam excitat; dicit nempe *Lib. ad Demetr.* c. 24, 25 : « In » æternam pœnam sero credent, qui in vitam æternam credere » noluerunt. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœni- » tentiæ locus, nullus satisfactionis effectus. »

3° *e ratione theologica.* Æternitas pœnarum inferni plene demonstratur e doctrina catholica de cœlo. Hæc enim nobis exhibet cœlum ut bonum æternum in absentia omnis mali et in

beatifica Dei visione consistens, quod hominibus in justitia decedentibus ut merces est destinatum. Jamvero si tota illa æterna cœli beatitudo est justitiæ merces, ab ea certe illi omnes in æternum excludendi sunt, qui in actuali peccato mortali decedunt; nam si ab ea tantum temporarie excluderentur, jam non *tota illa æterna* beatitudo cœli sed *temporaria* tantum cœli fruitio esset justitiæ merces. Nunc autem hæc privatio cœli, quod tum omnis mali absentiam tum Dei visionem complectitur, necessario infert privationem visionis Dei (pœna damni) et præsentiam malorum (pœna sensus), quæ simul totam inferni pœnam constituunt. Ergo e doctrina catholica de cœlo immediate fluit æternitas pœnarum inferni.

IV. Æternitas pœnarum inferni etiam demonstratur vel saltem maxime suadetur per rationem philosophicam. Cum dogma de æternitate pœnarum inferni tantopere impugnetur, quasi adversaretur rationi, opportunum sane est, rationis judicium circa hanc quæstionem exquirere. Jamvero affirmamus rationem bene consultam solida præbere argumenta, quæ si æternitatem pœnarum inferni forsan non strictissime probent, tamen validissime suadent : quod ita demonstramus.

a) Æternitas pœnarum inferni inprimis probatur vel saltem maxime suadetur *ex sapientia Dei.* Legislatoris sapientis certe est, non qualicumque pœna legem suam sancire, sed tali, quæ efficaciter homines ad legis observationem excitare possit; nam secus vellet effectum, et causam negligeret. Jamvero æterna pœna sola efficax est ad homines, ut Dei legem servent, movendos. Ergo Deus qui sapientissimus est legislator, debuit legem suam pœna æterna sancire. — Quod autem æterna pœna sola ad id efficaciam habet, facile ostenditur : ista certe pœna hominem a peccato retrahere non potest, quæ per delectationem peccati sufficienter compensata rationabiliter censeri potest; nam si homo æquale malum in deserendo peccato et in pœna contra peccatum statuta inveniat, jam timore pœnæ a peccato non re-

trahitur. Jamvero si homo de æterna sua felicitate securus esset, rationabiliter censere posset pœnam temporariam in inferno subeundam per peccati delectationem satis compensari, per sensuum nempe satisfactionem, quam in passionis æstu ut summum suum bonum habere solet, aut per bonorum temporalium possessionem et vitæ conservationem, quæ ad justitiam servandam amittere deberet. Ergo dicendum est hominem a peccato efficaciter retrahi non posse solo temporariæ pœnæ timore. Huic autem conclusioni expresse assentit S. Hieronymus *in Jonæ* 3 : « Evertit penitus, ait, hoc dogma (doctrina scilicet » de temporaria inferni duratione) timorem Dei, dum homines » facile labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor » est et peccatorum omnium fons, ita pœnitentia posse salvari »; et ipsi pagani eam perspexerunt, nam Lucretius *(De Natura Rerum I,* 108) dicit : « Nam si certum finem esse viderent » ærumnarum homines, aliqua ratione valerent religionibus » atque minis obsistere vatum. Nunc ratio nulla est, restandi » nulla facultas, æternas quoniam pœnas in morte timendum. »

b) ex sanctitate Dei. Deus, postquam hominem in statu libertatis, ita ut peccare vel virtutem colere possit, posuerit, ex sanctitate sua ipsum timore pœnæ a peccato arcere et mercedis spe ad virtutem allicere tenetur. Nec satis est ut qualicumque modo id faciat, sed efficacem pœnam et mercedem tenetur statuere. Secus enim Deus se ad virtutem indifferentem haberet et peccati fautor existeret, quod dictu horrendum est. Jamvero, uti mox vidimus, non pœna temporaria sed æterna pœna sola hominem a peccato efficaciter arcere potest. Ergo.

c) ex justitia Dei. Deus, qui essentialiter justus est, etiam in pœna impiorum statuenda certe justitiam est secutus; et, cum ad justam habendam pœnam gradus pœnæ gradui malitiæ peccati respondere debeat, certe talem et tantam pœnam in impios statuit, quæ gradui malitiæ peccati mortalis contra Dei legem admissi respondeat. Jamvero gradus malitiæ peccati

contra Dei legem admissi est infinitus *secundum quid,* seu malitia illa respectum habet, sub quo vere incommensurabilis sit. Ergo debuit Deus contra impios talem statuere pœnam, quæ etiam sit infinita *secundum quid,* seu sub aliquo respectu incommensurabilis. Nunc autem pœna potest esse infinita *secundum quid* aut ex parte mali, quod infert, aut ex parte durationis suæ. Jamvero homo, utpote ens finitum, pœnam ex parte mali inferendi infinitam in se recipere non potest; sed cum immortalis sit secundum animam, et etiam secundum corpus sit resurrecturus, recipere potest pœnam ex parte durationis infinitam. Ergo Deus præ justitia sua pœnam ex parte durationis infinitam seu æternam contra impios statuere debuit.

Quod autem malitia peccati mortalis est infinita *secundum quid,* ita ostenditur. Hæc enim malitia tum secundum majorem vel minorem ordinis lege stabiliti subversionem per peccatum effectam, tum secundum majorem vel minorem excellentiam personæ, quæ legem tulit et ejus violatione offenditur, æstimanda est. Ita sane gravius quis delinquit hominem occidendo quam illum risu tantum contemnendo, propter majorem nimirum ordinis subversionem; atque etiam gravius quis delinquit contemnendo voluntatem principis quam agendo contra ultimi cujusdam officialis voluntatem. Jamvero malitia peccati nostri a parte subversionis ordinis per ipsum inductæ est certe finita, cum homo rem infinitam efficere non possit; verum a parte personæ offensæ est infinita, cum eo major sit, quo excellentior sit persona offensa, et Deus per peccatum offensus infinitam habeat excellentiam. Ergo peccatum mortale malitiam habet infinitam *secundum quid,* sub respectu nimirum personæ offensæ.

Ex justitia Dei ètiam hoc modo æternitas inferni demonstrari potest. Ut Deus sit justus, debuit inter justorum mercedem et impiorum pœnam, eamdem statuere distantiam, quæ inter virtutem et vitium habetur. Jamvero hæc distantia est infinita,

quia, uti ostendimus, in peccato habetur malitia infinita *secundum quid*. Infinitam ergo distantiam inter justorum mercedem et impiorum pœnam debuit statuere. Verum, si unquam impii felicitate cœli fruerentur, jam infinita illa distantia non existeret; ergo concludamus oportet Deum præ justitia sua debuisse æternas statuere in impios pœnas. Hanc autem demonstrationem expresse dedit S. Hieronymus *in Joan. III* : « Si longos, ait, post circuitus atque infinitis sæculis omnium restitutio fiet, et una dignitas militantium, quæ distantia erit inter virginem et prostibulum? Quæ differentia inter matrem Domini et (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem apostoli et dæmones? Idem prophetæ et pseudo-prophetæ? Idem martyres et persecutores? Finge quotlibet annos et tempora duplica, et infinitas ætates congere cruciatibus; si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus. »

d) Æternitatem inferni a ratione exigi vel saltem maxime suaderi constat etiam ex eo quod ipsi philosophi pagani eam admiserint. Dicit nempe Virgilius *Æneid.* L. VI, v. 616 : « Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum districti pendent : sedet, æternumque sedebit infelix Theseus. » Plato, referente Eusebio in *Præp. Evang.* L. XI, c. 38, pariter scripsit : « At qui propter scelerum atrocitatem, locum remedio nullum reliquisse videantur, utpote crebris et immanibus sacrilegiis, aut plurimis cædibus nefarie et contra leges omnes perpetratis, et aliis hujusmodi piaculis obligati : hos vero digna plane sors in Tartarum, unde *nunquam emergant*, præcipites agit. »

V. Objectiones e S. Scriptura. 1° Scriptura, aiunt aliqui adversarii, æternitatem inferni quidem docet, sed per infernum intelligit statum mortis seu plenæ destructionis; nam statum damnatorum vocat statum *mortis, perditionis, interitus*; ergo

falso docent catholici damnatos in æternum infernalibus pœnis cruciari.

R. Non negamus damnatorum statum in Scriptura statum *mortis*, *perditionis*, *interitus* vocari; verum hæc verba non in sensu suo proprio, in quo veram rei destructionem significant, sed in sensu suo metaphorico, in quo significant statum privationis gratiæ et statum miseriæ, accipienda sunt. Et hoc quidem liquet, ex eo quod Scriptura positivas pro impiis indicat pœnas, uti ignem et vermem conscientiæ, quæ damnatorum in existendo conservationem necessario supponant. Ergo frustra contendunt adversarii impiorum totalem post mortem destructionem ex hisce locutionibus probare

Obj. 2° Scriptura, aiunt alii, futuram omnium rerum in mundi fine *apocatastasin* seu instaurationem prædicit (Act. Ap. III, 21; I. Cor. XV, 22; Apoc. XX, 5, 14; XXI, 5); ergo si omnia sunt instauranda, etiam impii tunc a pœnis suis sunt solvendi.

R. Ut objectio valeret, demonstrandum esset vocem *omnia* absolute seu sine ulla exceptione hic esse intelligendam. Atqui non habent adversarii, unde id præstent; imo Scriptura in aliis locis docet impios in hac instauratione non comprehendi, nam refert, Christum eo ipso momento, quo omnia instaurabuntur, in impios hanc edicturum esse sententiam : « Discedite a me » maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis » ejus. » Ergo.

Obj. 3° Textus e S. Scriptura citati intelligi possunt, non ut pœnarum contra peccatores certo statutarum declarationem continentes, sed ut tantum minas jactantes. Jamvero ex meris minis nihil certi de futura peccatorum sorte deduci potest. Ergo.

R. Falso ab adversariis asseritur in illis textibus non pœnas, quæ impiis certe infligentur, sed tantum pœnarum, quæ forte impiis infligerentur, minas contineri; nam in omnibus locis citatis expresse declaratur pœnas æternas a Deo impiis esse

destinatas, et nihil occurrit, quo indicetur hoc Dei decretum tantum esse conditionatum. — Nec dicatur hanc absolutam Scripturæ declarationem ut meram ad timorem injiciendum comminationem haberi posse, quia forsan Deus, ubi hæc declarabat, intentionem has pœnas infligendi non habuit, vel quia forte sententiam suam postea immutaturus est. Etenim hæ hypotheses cum Dei attributis pugnant : si enim Deus absolute declarasset pœnas æternas impiis esse destinatas, quin intentionem has pœnas vere infligendi haberet, non fuisset verax in loquendo; et si sententiam suam mutaret, jam non esset neque summe sapiens neque immutabilis. Ergo.

VI. Objectiones ex Traditione. 1° Antiquiores Patres magno cum consensu admiserunt in inferno adhuc pœnitentiæ et reparationi locum haberi; ergo juxta ipsos inferni pœnæ non sunt æternæ. Ergo.

R. Ad hanc objectionem solvendam sequentia sunt notanda : *a)* si verum sit aliquos antiquiores Patres hanc sententiam tenuisse, saltem illi pauci sunt numero, uti omnes fatentur; jamvero doctrina paucorum, a communi sententia discedentium, certe non potest ut Ecclesiæ doctrina haberi ; ergo. — *b)* Iidem Patres, qui dissentire videntur, alibi errorem emendarunt, ut ipse Petavius, severus ille Patrum exactor, fatetur (De Angel. L. 3. c. 8). — *c)* Rectius multi theologi ex aliis locis claris catholico sensu interpretantur testimonia illa, quæ a catholica doctrina recedere videntur; et validissimæ quidem habentur rationes, ut id faciant. Etenim, uti communiter admittitur, nonnulliorum Patrum scripta ab Origenistis corrupta fuere; ac dein in obscurioribus istis textibus, Patres quandoque loquuntur de purgatorii pœnis, quandoque de hujus vitæ tribulationibus, quas peccati pœnas vocant et finiendas dicunt; quandoque etiam referunt errorem ab aliis prolatum, quin tamen illum approbent.

Obj. 2° Ecclesia haud obscure æternitatem inferni negat, cum dicat in Offertorio *Missæ pro defunctis* : « Domine J-C. rex

» gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis » inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absor- » beat eas tartarus, ne cadant in obscurum » etc.... et in *Officio Defunctorum* : « A porta inferi erue Domine animas eorum. » Si enim pro damnatorum liberatione orat, necessario eos liberari posse supponit, ac proinde non tenet ipsorum pœnas esse æternas.

R. Falso asseritur Ecclesiam in objectis verbis impiorum liberationem a Deo postulare, nam istæ sententiæ in alio sensu intelligi optime possunt, et cum possint etiam debent, quia Ecclesia aperte in doctrinæ suæ documentis profitetur in inferno nullam existere liberationis spem, et supponi nullatenus potest ipsam sibi contradicere. — Quod autem illæ sententiæ alio in sensu vere intelligi possunt, facile ostenditur. Inprimis nihil sane obstat, quominus voces *pœnæ inferni, lacus profundus, os leonis, porta inferi* non de inferno sed de purgatorio intelligantur, nam ob pœnarum, quæ in utroque loco habentur, similitudinem, purgatorium recte infernus vocari potest. Hanc autem esse veram horum verborum explicationem contendunt Valentia, Gavantus, Benedictus XIV, et Cavalierus.

Dein et sequenti modo objecti textus explicari possunt. Animadvertendum nempe est liturgiam catholicam præ se ferre quemdam sublimissimæ poësis characterem, qui aperte se manifestat pluribus in textibus, qui aliquam dramaticam mysteriorum vel dogmatum repræsentationem continent. Ita e. g. tempore adventus Ecclesia usurpat illa verba, quibus patriarchæ et prophetæ Christi adventum postulabant : « *Rorate cœli desuper et nubes pluant justum;* » et passionis tempore utitur Jeremiæ verbis : « *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.* » Jamvero recte dici potest, Ecclesiam simili modo in citatis textibus poëticam fidelibus proponere descriptionem, in qua eos, ad sanctum mortis timorem incutiendum, morti hominis præsentes sistit, atque eo modo orat, ac si egressura e

corpore anima nunc esset judicanda. Hæc autem sententia propugnatur a Merato, Sardagna et Card. Wiseman; atque alteri videtur præferenda. Maxime ideo videtur commendanda quod in Officio Defunctorum responsorium « *Libera me Domine,* certe poëticam continet descriptionem; in eo nempe de judicio ultimo fit sermo, et postulatur liberatio in hoc judicio a morte æterna. Jamvero id sane non postulatur pro anima defuncti jam a Deo judicata; sed sistuntur fideles morti defuncti præsentes, et ibi a Deo petitur ut hæc anima mox e vita decessura veniam a Deo accipiat, et ita in extremi judicii die a sententia damnationis æternæ sit libera.

Obj. **3°** Antiquæ Ecclesiæ doctrina saltem aliquod in inferni pœnis levamen ex fidelium orationibus derivari admisit; nam nonnulli Patres id clare docent, et etiam non pauca habentur Missalia, a Joanne Lami collecta, in quibus refertur Missa orationem continens, *ut tolerabilia damnatorum tormenta fiant.*

R. Diffiteri non possumus S. Chrysostomum, non tamen omnino asseveranter sed cum quadam dubitatione, in *Hom.* 41 *in Ep. ad Cor.*, et Prudentium in Hymno V post Festum Paschale dicere, quod fidelium suffragia aliquod solatium damnatis afferunt; sed præter illos nemo ex Patribus hanc doctrinam tenuit. Verum exinde nihil contra nostram doctrinam sequitur; nam non ex unius vel alterius Patris sententia de Ecclesiæ doctrina judicandum est sed ex communi consensu. Dein quod Ecclesia nunquam docuit, solatium damnatis ex nostris precibus advenire posse, satis constat ex ejus constanti pro damnatis non orandi consuetudine, de qua testis est S. Augustinus *De Civ. Dei* L XXI, c. 24.

Quod ad ista Missalia spectat, hæc nonnisi pauca sunt, et probabilius, nequidem in ipsis particularibus Ecclesiis, ad quas pertinuisse dicuntur, in usum fuerunt deducta. Conscripta fuerunt a quibusdam monachis post annum 890, cum Adrevaldus, abbas Foriacensis, jusserat ut preces pro damnatis funderentur,

quatenus minoribus mulctarentur a districto judice pœnis. Ergo etiam neque ex hoc facto ullatenus potest concludi, Ecclesiæ sententiam olim fuisse, quod damnatorum pœnæ fidelium suffragiis minui possint.

VII. Objectiones ex ratione. 1° Scopus pœnæ, aiunt adversarii, non est vindicatio sed unice rei emendatio, quia vindicatio est semper mala et charitas in omnibus est prosequenda. Jamvero pœna æterna non ad rei emendationem sed unice ad peccatum vindicandum conducit. Ergo pœna, ipso suo scopo id prohibente, nunquam potest esse æterna; ac proinde non potuit Deus æternas contra peccatum constituere pœnas.

R. Falso asseritur unicum pœnæ scopum esse rei emendationem, et omnem vindicationem esse malam; ratio enim contra dictat præcipuum pœnæ finem esse justitiæ ope vindictæ observantiam, et rei emendationem tantum esse secundarium pœnæ finem, in tantum solummodo attendendum, quantum primarius finis id permittat. Ergo ruit objectio.

Etenim pœna est legis complementum; nam homo, cum ex natura sua in omnibus suis actibus bonum aliquod intendat, legem non observabit, nisi ipsi bonum aliquod per legis observationem obtinendum, et certum malum per eam vitandum proponatur; ac proinde lex inutilis erit, nisi merces legis observatione assequenda et pœna pro ejus violatione subeunda statuatur. Jamvero finis seu scopus legis est recti ordinis seu justitiæ observatio. Ergo et finis seu scopus pœnæ, quæ legis est complementum, erit recti ordinis seu justitiæ observatio. — Dein qui societati præest, ad peccatum et virtutem indifferentem certe se habere non potest, quum justitia ab ipso postulet, ut virtuti faveat, et peccatum reprimat. Sed virtuti favere non potest nisi per mercedem, et peccatum non potest reprimere nisi per pœnam, cum homo necessario et semper felicitatem quærat. Ergo ex justitia tenetur legislator peccatori infligere pœnam.

Emendationem tamen rei in statuenda pœna etiam attenden-

dam esse, per se liquet, cum lex charitatis in omnibus servanda sit operibus. Verum hæc rei emendatio alium principaliorem pœnæ finem impedire non potest, cum charitas in proximum alias virtutes non destruat sed perficiat.

Liquet autem absurde ab adversariis asseri, quod omnis vindicatio est mala. Notum enim est et per se patet eam tunc tantum malam esse, ubi fit ex odio, aut cum intentione malum ut malum proximo inferendi, aut sine legitima potestate; in aliis autem casibus est virtutis actus.

Obj. 2° Deus nos omnes ex nihilo fecit, ut essemus tandem aliquando æternæ felicitatis compotes, uti ratio et vehemens cordis nostri ad beatitudinem naturale desiderium testantur. Jamvero si pœnæ inferni essent æternæ, illi omnes, qui in infernum inciderent, ex beatitudine illa excluderentur : quo habito Deus sibi contradixisset, nam creavisset hominem ad felicitatem et simul constituisset pœnas, quibus homo a felicitate in æternum excludatur. Ergo dicendum est pœnas inferni non esse æternas.

R. Verum quidem est Deum velle ut nos omnes ad felicitatem perveniamus; at hæc Dei voluntas non est *absoluta* sed *conditionata*. Id enim vult Deus sub ea conditione, ut homo nempe virtutem colat; sicuti liquet e Dei sanctitate, qua Ipse necessario vult, ut illi omnes, qui graviter peccant, a felicitate removeantur. Finis enim Dei ultimus in creatione est attributorum suorum manifestatio, et bonum nostrum est tantum finis Ejus secundarius, ita ut Deus in tantum solummodo bonum nostrum velit, quantum id cum attributis suis, cum infinita nempe sapientia et sanctitate sua, componi possit.

Nec dicatur tunc fallax esse desiderium beatitudinis homini inditum; nam ipsum minime nos fallit : declarat enim finem nostrum esse beatitudinem, sed non declarat quod nos omnes certe hanc beatitudinem assecuturi sumus. Si autem quis hanc beatitudinem non obtineat, id non sequitur ex eo quod beatitudo

non sit ejus finis, sed ex culpa ejus, qua voluntarie se ab hoc fine avertit.

Nullatenus igitur Deus æternas pœnas in inferno statuendo, fini, quem in creatione intendit, contradicit; ac proinde ruit objectio.

Obj. 3° Infinita est Dei bonitas, et infinita Ejus misericordia. Atqui cum his divinis attributis nequit pœnarum æternitas consistere; nam pœnæ æternæ Deum, earum auctorem, potius crudelem exhibent.

R. Deus certe est infinite bonus et misericors; at hæ dotes non ut cœci affectus, sed ut affectus secundum infinitam Dei sapientiam et sanctitatem ordinati concipiendi sunt. Jamvero sapientia et sanctitas Dei postulant, uti supra vidimus, pœnarum inferni æternitatem. Ergo ex bonitate et misericordia Dei concludi non potest inferni pœnas non esse æternas.

Obj. 4° Juxta immutabilem justitiæ ordinem, pœna non debet gravitatem culpæ excedere; atqui hoc fieret, si pœna esset æterna; siquidem culpæ brevi temporis spatio commissæ responderet pœna sine termino.

R. Debet quidem inter culpam et pœnam esse proportio; sed peccatum mortale, cum infinitæ sit malitiæ, postulat, uti probavimus, æternam pœnam. Ergo. — Absonum autem sane est peccati gravitatem juxta temporis spatium, in quo peccatum fuit commissum, æstimare; nam hæc duratio merum hac in re est accidens, quod quandoque aggravat, quandoque minuit peccati malitiam.

Obj. 5° Pœnæ æternæ, aiunt, cum animæ indole componi non possunt. Etenim anima nostra pro sua natura sicut semper in pejus ruere, ita etiam perpetuo ad meliorem frugem reverti potest. Quod si autem cessat voluntatis perversitas, cessare quoque debet pœna, quæ est peccati sequela. Præterea absurde asseritur animam, quæ ex essentia sua

continuis mutationibus est obnoxia, post hanc vitam assumere conditionem æternitatis et fieri immutabilem. (*Tiberghien, Esquisse de philosophie morale* p. 295, 296).

R. Quamvis homo in hac vita, in statu nempe viæ, sicut semper ad peccatum relabi, ita quoque ad Deum reverti possit, id nullo modo, ut mox ostendemus, in altera vita, in statu scilicet termini, locum obtinet. Ibi enim anima nullum actum aut supernaturalem, neque etiam moraliter tantum bonum elicere poterit, ac proinde ad Deum non poterit reverti neque remissionem peccatorum suorum accipere.

Quod ultimo loco in objectione asseritur, nempe ab anima assumi non posse conditionem æternitatis, hoc verum esset, si ageretur de absoluta Dei æternitate, in qua nulla datur successio, sed perfecta vita tota simul possidetur. Atvero æternitas pœnarum unice perpetuam durationem infert, et proinde successionem in animæ actibus non excludit. Ergo.

VIII. Scholion. *a)* Postquam demonstravimus pœnam inferni contra peccatum mortale statutam esse æternam, investigandum manet quid dicendum sit de pœna venialibus damnatorum peccatis debita, necnon de pœna debita peccatis quibusvis damnatorum, in vita ipsorum quoad culpam remissis; *utrum nempe istæ pœnæ in damnatis sint æternæ, an vero temporariæ.*

R. Certum est, has pœnas e sua natura, abstractione a damnationis statu facta, non esse æternas; verum an damnationis status non efficit, ut æternæ esse debeant? Quoad pœnam peccatis venialibus debitam, affirmat Scotus eam manere temporariam, sed S. Thomas (*De Malo*, q. 7; a. 10) docet pœnam peccati venialis in damnatis fore *æternam per accidens*, ratione nempe status damnationis. Tamdiu, ait, durabit pœna quamdiu culpa; sed culpa venialis semper durabit in damnatis, cum actus bonos, quibus a peccato recedant, ponere non possint. — Quod vero ad pœnam peccatis jam remissis debitam attinet, certum

videtur hanc pœnam esse temporariam. Hæc enim pœna, ex eo ipso quod solvitur, expiatur, et nullum interiorem bonum actum requirit ut solvatur; ergo nulla adest ratio ad dicendum, quod hæc pœna maneat in æternum.

b) Per se liquet pœnas inferni *accidentales*, uti dæmonis vexationes, aliorum exprobationes, etc. neque æternas neque immutabiles esse, sed vicissitudinem quamdam habere posse.

§ V.

Q. QUO IN STATU VERSANTUR DAMNATI QUOAD ACTUS INTELLECTUS ET VOLUNTATIS?

R. *Damnati, cum omni supernaturali gratia destituantur, nunquam possunt salutarem agere pœnitentiam, et semper manent in peccato, propter quod damnationem incurrerunt. Servant quidem naturales suas intellectus et voluntatis facultates, sed tamen nunquam actum moraliter bonum ponere possunt, nec unquam possunt carere omni actu malo. Unde plene obstinati in malo sunt dicendi.*

I. **Gradus certitudinis.** Damnatos numquam *salutarem* pœnitentiam agere posse, et idcirco semper manere in peccato propter quod damnationem incurrunt, est *de fide*, utpote implicite in dogmate de æternitate pœnarum contentum. Eos vero nunquam actum moraliter bonum ponere posse, et ita nunquam actu malo carere, est *theologice certum*, utpote unanimi theologorum consensu e fidei doctrina deductum.

II. **Demonstratur prior pars.** Eos nunquam salutarem pœnitentiam agere posse sequitur ex Dei decreto æternam damnatis infligente pœnam. Ad agendam pœnitentiam salutarem (h. e. ad gratiam sanctificantem et cœlum conducentem), requiritur Dei gratia supernaturalis, quia natura nostra, propter infinitam inter valorem operum suorum et mercedem cœli distantiam, ex seipsa non potest salutarem actum ponere. Sed

Deus non potest aliquem ad æternas pœnas damnare, et simul ei gratiam largiri, qua perveniatur ad cœlum, quin sibi contradicat. Ergo Deus talem gratiam damnatis non largitur; et idcirco ipsi non possunt salutarem agere pœnitentiam, atque ita perpetuo manent in peccato, ob quod damnationem incurrerunt.

III. Demonstratur altera pars. Quod damnati nequidem actum moraliter bonum (h. e. cum rationis dictamine conformem) possunt elicere et ita nunquam carent actu malo seu semper peccant, ita demonstratur. Damnatus semper manebit in actuali consideratione tum boni æterni, quo se privavit, seu cujus se incapacem peccando fecit, tum horribilis pœnæ quam patitur, tum peccatorum propter quæ patitur, tum Dei pœnam infligentis : quæ omnia, cum maxime terreant, maxime impellunt et cogunt intellectum ad actualem considerationem et appetitum ad actus suos. Et quidem cum hæc mala semper durent, attentio et motus appetitus etiam semper durant; nec cessare unquam possunt, nam si consideratio cessaret, labor et pœna etiam cessarent, quod est contra inferni æternitatem. Ex hac autem consideratione sequitur desperatio in voluntate, et ex ea sequitur impatientia : patientia enim vel minima esset pœnæ levamen. Dein ex hac impatientia sequitur intestinum Dei odium, nam voluntas, quæ necessario in bonum fertur, nunquam eum amabit, a quo nonnisi pœnam in æternum acceptura est; et hoc Dei odium in damnatis constanter perseverat et est summum, utpote ex æternis et summis malis a Deo inflictis oriundum. Unde fit ut quidquid damnati attendant et velint, id semper in Dei odium ordinent; nam constans et primarius voluntatis eorum actus alius esse non potest quam Dei odium. Facile igitur intelligitur omnes damnatorum actus malos esse.

IV. Objectiones. 1° Non videtur omnis damnatorum voluntas esse mala; nam de divite dicitur (Luc. XVI), quod orabat pro fratribus suis, ne caderent in infernum. Sed hæc voluntas videtur esse bona. Ergo.

R. Ut objectio valeret, ostendendum esset hanc orationem ex omni parte certe bonam fuisse; sed nihil demonstrat odium Dei in hac oratione non latere; nam potuit certe iste dives fratrum suorum salutem efflagitare, ne ex ipsorum in inferno societate mala sua augerentur, et hanc ipsam orationem in Dei odium dirigere. Ergo inefficax est objectio proposita.

Obj. 2° Saltem non videntur damnati peccare per voluntatem suam constanter malam, nam ex dictis sequitur eos operandi bonum potentia carere. Jamvero nemo peccat in eo quod nullo modo potest vitare. Ergo.

R. Non adest in damnatis impotentia physica actum moraliter bonum ponendi, quia eorum voluntas non est intrinsece immutata, nam eas vires physicas servat, quas in mortali vita habuit. Sed adest impotentia moralis summa, quæ tam vehemens est, ut *nunquam* quis eam superet. Jamvero ad peccatum proprie dictum sufficit physica illud vitandi potentia. Ergo. (*Cfr.* De Gratia; pag. 81.)

V. Nota. Quamvis damnati constanter peccent, non tamen amplius demerentur, cum non sint in statu viæ; et idcirco hæc peccata nullam novam expetunt pœnam.

CAPUT QUARTUM

De Limbo, seu de loco et sorte parvulorum sine baptismate decedentium.

Prænotanda. Duplex communiter distinguitur limbus : *limbus* nempe *Patrum* et *limbus puerorum*.

Limbus Patrum est locus quietis et consolationis, in quo justi ante Christi in cœlum ascensionem manebant. Dicitur

limbus *Patrum* a patribus seu patriarchis populi judaici, qui in eo erant. Vocatur etiam *sinus Abrahæ* (Luc. XVI, 22); *sinus* a quiete, quæ ibi habebatur, *Abrahæ* vero, quia ad limbum perveniri non poterat nisi merito fidei; atqui Abraham pater fuit credentium, utpote perfectæ fidei exemplar, pater istius gentis a Deo ad fidem de vero Deo et futuro Messia in mundo servandam electæ. Vocatur etiam *paradisus* (Luc. XXIII, 43) ob voluptatem et amœnitatem suam. Vocatur tandem *infernus* (Psalm. XV, 10) utpote sub terra situs, uti habetur e symbolo, in quo Christus dicitur *descendisse ad inferos,* et e verbis S. Pauli ad Eph. IV, 9 : « *Descendit (Christus) in inferiores* » *partes terræ.* » Opinantur multi infernum, purgatorium, et limbum patrum esse loca continua, quorum purgatorium tenet medium; attamen nihil hac de re cum plena certitudine asseri potest.

Limbus puerorum autem est specialis locus, in quo juxta communem sententiam animæ cum solo originali peccato decedentium degunt; animæ nempe puerorum, qui sine baptismate, antequam ad rationis usum pervenerint, moriuntur, et eorum qui istis pueris æquiparantur, perpetuo scilicet amentium.

Ut autem cognoscamus quid de limbi puerorum *existentia* et *natura* sit tenendum, sequentia puncta sunt investiganda. Primo inquirere debemus, patianturne isti cum solo originali peccato decedentes eamdem pœnam ac ob personale peccatum damnati, pœnam nempe damni et pœnam sensus; annon. Inde enim constabit, an pro istis existat specialis locus a cœlo et inferno distinctus. Jamvero inveniemus eos pœna damni quidem sed non pœna sensus puniri, ac proinde specialem obtinere locum. Dein hoc habito, ulterius inquirendum erit, tum an isti ex sua pœna damni dolorem et afflictionem patiantur, tum etiam quali beatitudine naturali fruantur : ita enim innotescet, qualis sit puerorum status in limbo, seu qualis sit hujus loci natura.

§ I.

Q. An animæ cum solo originali peccato decedentium patiuntur pœnam damni?

R. *Doctrina catholica tenet eas pœnam damni pati.*

—

I. Gradus certitudinis. Hoc responsum est *de fide*; in decreto enim concilii Florentini legitur : « Definimus... illorum » autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo origi- » nali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen » disparibus puniendas. »

II. Demonstratio. S. Scriptura et Ecclesiæ traditio clare docent baptismum, in re vel in voto susceptum, omnibus esse necessarium, necessitate medii, ad originale peccatum delendum et proinde ad supernaturalem cœli beatitudinem assequendam. Ergo liquet eos omnes, qui cum solo originali peccato decedunt, e supernaturali cœli beatitudine excludendos esse, seu pœnam damni esse passuros.

Præterea sine gratia sanctificante, ut fides docet, nemo in cœlum admittitur. Jamvero originale peccatum in privatione gratiæ sanctificantis ob Adæ peccatum inducta consistit. Ergo.

III. Errores. Pelagiani, cum originale peccatum et gratiæ ad salutem necessitatem negarent, necessario docuerunt parvulos sine baptismate decedentes e vera cœli beatitudine non excludi; sed ex simulatione admiserunt eos privari speciali bono, regno nempe Dei solis baptizatis destinato. Pariter Calvinus admisit saltem fidelium infantes ob solum originale peccatum pœnam damni non esse passuros.

IV. Sententiæ vitandæ. Quædam in hac materia exortæ sunt sententiæ, quæ, si non expresse ab Ecclesia sint proscriptæ, tamen tuto tradi aut teneri non possunt. Ita tuta non videtur sententia Cajetani, qui in 3 *P. S. Thomæ.* q. 68 scribit : « Parvulos fidelium christianorum, quibus per baptismum sub-

» veniri haud potest, non tantum ex singulari Dei privilegio, » sed ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis et » precibus parentum. » Est enim sententia *temeraria*, utpote omni fundamento destituta; et parum abfuit, teste Pallavicino *Hist. Conc. Trid.* L. 9, c. 8, quin in illo concilio damnaretur.

Neque etiam probabilis videtur sententia D^ris^ Klee, *Dogm.* T. 3, *art.* 2, qui cum nonnullis aliis tuetur, infantibus in articulo mortis lucidum concedi intervallum, ut *baptismi* concipere possint *votum*. Vix enim conciliari potest hæc opinio cum Ecclesiæ sententia in Florentino decreto supra citato expressa, fieri nempe posse et revera fieri, ut aliqui cum solo originali peccato decedant.

§ II.

Q. AN ANIMÆ CUM SOLO ORIGINALI PECCATO DECEDENTIUM PŒNAM SENSUS PATIUNTUR?

R. *Cum communi theologorum sententia tenendum est eas non affligi pœna sensus.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc sententia dicenda videtur *certa;* siquidem firmissimis nititur argumentis et a fere omnibus præcipuis Ecclesiæ theologis admittitur.

II. Exponitur opposita opinio. Circa hanc quæstionem quidam theologi catholici aliam propugnant sententiam; dicunt nempe animas eorum, qui cum solo originali peccato decedunt, pœnam sensus, cujus ignis erit præcipuum instrumentum, passuras esse, sed minus tamen inde torquendas, quam quæ actuali peccato sunt inquinatæ. Eam omnium primus proposuit S. Augustinus, qui ad ipsam amplectendam, cum in disputatione sua cum Pelagianis originale peccatum negantibus, semper quam validissime potuit hujus peccati malos effectus extolleret, naturali vi adductus est. Post ipsum eam admiserunt quidam Patres latini : Fulgentius, Gregorius M. et Alcimus Avitus sæc. VI; et Isidorus Hispal. sæc. VII. In medio ævo solus Gregorius *a Ri-*

mini huic sententiæ favit, et ideo *tortor puerorum* vocatus est. Tamen non ausus est eam *definitive* tueri, sed judicium reliquit lectori. A Sæc. XVI autem rursus habentur quidam theologi, quibus hæc opinio arrisit, uti Card. Noris, Petavius, Driedo, Conrio et Berti; sed hodiedum fere a nemine propugnatur.

III. Demonstratio. 1° *e Traditione. a)* Pro nostra sententia inprimis militant quædam solemnia Ecclesiastici magisterii documenta. Ita Pius VI in bulla *Auctorem fidei* n. 26 damnavit ut *falsam, temerariam, in scholas catholicas injuriosam* doctrinam illam, « quæ velut fabulam pelagianam explodit lo- » cum illum inferiorem (quem Limbi puerorum nomine fideles » passim designant), in quo animæ decedentium cum sola origi- » nali culpa, pœna damni citra pœnam sensus puniantur : perinde » ac si hoc ipso, quod, qui pœnam ignis removent, inducerent » locum illum et statum medium expertem culpæ et pœnæ inter » regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur » Pelagiani. » Jamvero inde necessario sequitur nostram sententiam esse doctrinam scholarum catholicarum, et tuto teneri posse.

Nobis favet dein decretum Conc. Florentini : « Definimus... » illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo origi- » nali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen dis- » paribus puniendas. » Etenim pœnarum disparitas nequit in eo tantum consistere, quod cum solo originali peccato decedentes mitiori pœna afficiantur; nam hoc discrimen etiam inter eos qui cum actualibus peccatis mortalibus decedunt existit, quamvis inter ipsos nullum discrimen a Concilio ponatur. Significatur igitur aliud discrimen ac illud quod inter eos est, qui plus minusve pœna ignis puniuntur. Sed istud in quo consistere possit, nisi in eo quod solo originali peccato inquinati tantum pœna damni puniantur? Ergo.

Tandem evidenter nobis favet Innocentii III decretum (L. III. *Decret. Tit.* 42. c. 3), in quo, distincto prius peccato originali ab actuali, ac utriusque indole explicata, subditur : « Pœna ori-

» ginalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna » peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus. » Ex his enim necessario sequitur illos omnes, qui solo originali peccato sunt obstricti, pœna sensus non esse afficiendos.

b) Huc accedit auctoritas Patrum et Theologorum. Inter Patres græcos communis fuit nostra sententia, uti omnes admittunt. Ita S. Greg. Nazianz. (*Orat.* XL.) dicit : « Infantes nec » cœlesti gloria nec suppliciis a justo judice afficiuntur, utpote » qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen » careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fece» rint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus » honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis ho» nore indignus est, statim etiam pœnam promeretur. » Post Patrum autem ætatem Scholastici, qui tanta cum gloria et scientia totam Patrum traditionem exposuerunt mirificeque explanarunt, omnes, uno tantum excepto, unanimiter nostram sententiam propugnarunt. Videmus S. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum, Dominicum Soto, Suarez cæteraque præcipua scholæ lumina eam ut certam habere et omni argumentorum genere defendere. Dein theologi recentiores fere omnes doctrinæ scholasticorum subscripserunt, et hodierna die in omnibus fere scholis catholicis hæc sententia docetur. Jamvero iste Patrum et Theologorum consensus, tam constans et tam universalis, certe demonstrat hanc nostram sententiam omnino esse tutam et etiam veram.

Quod autem ad S. Augustinum, qui in hac quæstione nobis adversatur, attinet, observandum est, ipsum ad oppositam sententiam quasi disputationis vi, uti jam diximus, adductum esse; et etiam de veritate suæ opinionis haud plene fuisse persuasum. Etenim *De Libero Arbitrio*, III, 23 scribit : « Dicunt » aliqui, qualis in futuro judicio locus parvulo deputabitur, cui » nec inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit, nec inter » malos, quoniam non peccavit! Respondeo, superflue quæri de

» meritis ejus, qui nihil meruit : non enim timendum est, ne » non potuerit esse *sententia media inter præmium et supplicium*, cum sit vita media inter peccatum et recte factum. » Dein *In Julianum* V, 8 hæc dicit : « Quis dubitaverit, parvulos » non baptizatos *in damnationem omnium levissimam* futuros, » quæ *qualis et quanta* erit, quamvis definire non possim, non » tamen audeo dicere, *quod eis quod nulli essent, quam ut ibi » essent, potius expediret.* » Jamvero ex hisce verbis clare patet S. Augustinum in hac quæstione dubium hæsisse, nam in eis nostræ sententiæ aperte favet. *Sententia* enim *inter supplicium et præmium, damnatio omnium levissima, status in quo melius est ita esse, quam non esse* certe supponunt pœnæ sensus absentiam; nam pœna sensus est supplicium verum, et proinde medium non tenet inter supplicium et pœnam; damnatio sine pœna sensus est levior illa, quæ pœnam sensus secum fert; et videtur melius esse non existere, quam existere cum æterna pœna sensus. — Dein quod ad illa testimonia attinet, in quibus S. Augustinus plena cum certitudine videtur asserere, infantes illos in pœna ignis fore, probabile omnino est quod, uti observat S. Thomas, nomen tormenti, ignis, gehennæ, ibi est large accipiendum pro pœna, genere nempe pro specie sumpto. — Quibus attentis liquet S. Augustini auctoritatem in hac quæstione maxime infirmam esse, et proinde haud valide tot Patrum et Theologorum consensui posse opponi. Imminuta autem sententiæ S. Augustini auctoritate, imminuitur quoque et illa cæterorum Patrum et Theologorum qui pro infantibus pœnam sensus admittunt, nam illi omnes, præcipue auctoritate S. Augustini moti, istam opinionem defendunt.

2° *e ratione theologica.* Sententiæ nostræ veritas clare demonstratur tum ex natura status lapsi, tum ex natura pœnæ sensus, tum ex natura personalitatis humanæ :

a) ex natura status lapsi. Homo in statu naturæ lapsæ juxta communem doctrinam ad hominem in statu naturæ puræ se ha-

bet uti spoliatus a vestibus ad illum qui fuit semper nudus; amisit nempe supernaturalia bona, quibus quasi supervestiebatur, et illa sola sed omnia servavit bona quæ naturalia sunt, quæque ideo homo etiam in statu naturæ puræ habuisset : ac proinde qui in solo originali peccato decedunt eodem modo ad futuram suam sortem se habent, ac isti qui in statu naturæ puræ ante rationis usum mortui essent. Jamvero isti certe non subiissent pœnam sensus, ergo neque in statu naturæ lapsæ qui cum solo originali peccato decedunt hac pœna sunt afficiendi.

b) ex natura pœnæ sensus. Pœna sensus e natura sua destinata est ad hominem propter naturalium facultatum abusum puniendum, eumque a peccato per naturalis mali timorem retrahendum, uti diximus pag. 36, et etiam e sequenti animadversione clare liquet. In statu nempe naturæ puræ certe alia non fuisset pœna quam pœna sensus, et pœna damni nunc non existeret, nisi ordo supernaturalis a Deo fuisset constitutus. Ergo evidenter constat pœnam damni propriam esse peccato originali, consistenti in privatione gratiæ sanctificantis debitæ inesse; pœnam vero sensus peccato personali, quo quis voluntarie suis facultatibus abutendo a lege Dei recedit. Jamvero Deus, utpote summe sapiens, contra originale peccatum pœnam non potuit statuere, quæ huic peccato non respondeat. Ergo.

c) ex natura personalitatis humanæ. Singuli homines utpote personæ, (h. e. rationalia agendi principia completa, quæ ponunt actus, sibi et non alii cuivis proprios, et de quibus ab ipsis solis coram Deo reddenda est ratio) propter peccatum ab altero commissum excidere quidem possunt e bonis supernaturalibus (affici pœna damni), sed non e bonis naturalibus (affici pœna sensus); quia secus personalitas humana ad nihil conduceret. Jamvero si illi, qui cum solo originali peccato decedunt, pœnam sensus subirent, propter peccatum ab altero commissum e naturalibus bonis exciderent; quod repugnat. Ergo. — Quod quis ob alterius peccatum e bonis supernatu-

ralibus excidere potest, facile concipitur. Hæc enim bona, utpote supernaturalia, sunt homini indebita seu gratis data. Si autem Deus libere ea contulit, ea potuit conferre sub ea conditone, qua voluit. Jamvero Deus statuit ut Adam sibi ipsi et toti suo generi hæc bona servaret, si mandato de esu fructus scientiæ boni et mali obediret. Adam autem hoc mandatum non servavit, et ita ipse cum toto suo genere ex istis excidit bonis. Nulla ratione hac in re offenditur *naturale* jus nostrum, cum agatur de bonis *supernaturalibus,* quæ e sua natura ad jus naturale non spectant. — Quod autem nullus homo e naturalibus suis bonis excidere ob alterius peccatum potest, ita demonstratur. Singulæ personæ certe jus habent ut non puniantur in natura sua, et ita vere sint infelices, nisi pœnam per peccatum meruerint. Deus enim, qui est ipsa bonitas, non potest aliquam personam ad miseriam et infelicitatem destinare, et unice, ubi justitia ad vindicandum peccatum id exigit, pœnam infligere potest; qui enim aliter ageret non esset bonus sed crudelis. Neque quis propter peccatum ab altera persona commissum, sed unice propter suum peccatum in natura sua affligi potest; nam omnis persona est sui juris, et tantum de suis actionibus debet rationem reddere, ac proinde etiam propter suas actiones solas in natura sua potest puniri. Si enim propter alterius peccatum in natura sua puniretur, actu negaretur personalitas illius qui punitur, ejus nempe independentia ab omni alia persona in actionibus ponendis et in ratione reddenda de actionibus suis. Jamvero omnis homo est persona; ergo nullus homo ob peccatum ab altero commissum puniri potest in natura sua, seu pœna sensus affici potest.

IV. Objectiones. 1° Qui in solo originali peccato decedunt, jam in hac vita multas pœnas sensus ob hoc peccatum subierunt, uti morbos et mortem, quæ ipsam naturam affligunt. Ergo a fortiori etiam in altera vita, quæ tempus punitionis et mercedis est, propter hoc peccatum in natura sua affligi, seu pœnam sensus subire poterunt.

R. Objectio valeret, si propter originale peccatum hominis in hac vita conditio pejor esset, quam illa quæ exstitisset in statu naturæ puræ, quæque ab ipsa natura nostra postulatur. Tunc enim constaret hominem revera in naturalibus suis bonis puniri propter peccatum ab altero commissum. Atvero miseriæ, quas nunc in hac vita patimur, non constituunt sortem statui naturæ puræ ullatenus inferiorem; nam easdem miserias subiisset homo in statu naturæ puræ, ac nunc patitur; ergo.

Obj. 2° S. Scriptura, ubi de ultimo judicio deque futura hominum sorte loquitur, omnem locum intermedium inter cœlum et infernum stricte dictum excludit. (Matt. XXV, 41; III, 12; XIII, 49; Apoc. XX, 15.) Jamvero qui in solo originali peccato decedunt, certe non obtinebunt cœlum. Ergo descendent in infernum stricte dictum, in quo est tum pœna damni tum pœna sensus.

R. Objectio vim haberet, si demonstrari posset in hisce textibus sortem definiri absolute omnium hominum, etiam illorum qui cum solo originali peccato decedunt. Verum id probari nequit; imo e contra contextus singulorum locorum, qui nobis objiciuntur, haud obscure indicat in eis tantum sermonem fieri de adultis, qui ratione sunt usi et libero actu bonum vel malum fecerunt. Pœna nempe inferni stricte dicti statuitur contra eos qui malum fecerunt, merces autem cœli promittitur illis qui fideliter Dei legem servarunt. Jamvero qui cum solo originali peccato decedunt, inter istos non computantur. Ergo in his textibus de ipsis non agitur; ac proinde ruit objectio.

§ III.

Q. An animæ cum solo originali peccato decedentium ex sua pœna damni dolorem patiuntur?

R. *Cum communiori sententia tenendum videtur eas ex sua pœna damni nullum sentire dolorem.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc sententia videtur *verior*. Eam tenent S. Thomas, S. Bonaventura, Suarez, aliique præcipui scholæ magistri. Bellarminus eam rejicit et putat illos dolorem aliquem, sed mitissimum, ex pœna damni sentire.

II. Demonstratio. Secundum rectam rationem tristitiæ et dolori locus tantum datur, ubi amissum est aliquod bonum ad felicitatem nostram omnino necessarium, necnon ubi aliquod bonum etiam nobis per se non necessarium amissum est ex culpa nostra personali. Ita juste quis affligitur ob amissa etiam sine culpa bona fortunæ, quibus absolute ad suam sustentationem eget; necnon ob amissa bona, utilia quidem sed non necessaria, quæ ex culpa propria sunt deperdita. Verum insipienter ageret v. g. homo e plebe, qui doleret ex eo quod non sit rex vel imperator, cum hoc munere ad beatitudinem suam non egeat, neque istud culpa sua amiserit. Jamvero illi qui cum solo originali peccato decedunt, cœli gaudio absolute ad suam felicitatem non egent, cum hoc bonum sit supernaturale et humanæ naturæ indebitum; neque hoc gaudium, quod ipsis esset sane jucundissimum, propria culpa amiserunt; ergo sapienter de amissione cœli dolere non possunt.

Præterea valde probabile est illos de amissa cœlesti beatitudine notitiam non habere ac proinde de ea dolere non posse. Etenim hæc notitia, cum sit de re supernaturali, ex ratione oriri non potest sed fide est accipienda; et præterea illi qui in solo originali peccato decedunt in hac vita fidem non acceperunt, cum ratione non sint usi : unde ut hanc notitiam de amissa cœlesti beatitudine haberent, fidem deberent obtinere post mortem. Jamvero haud rationabiliter supponi potest, id vere fieri. Etenim cur Deus hanc rem istis animis revelaret? Certe id non faceret ad dolorem eis injiciendum; nam rationabiliter de amisso cœlo dolere non possunt, uti jam diximus; ac dein Deus non potest præter exclusionem e cœlo eis aliam pœnam positivo actu inferre, cum ipsi personaliter non peccaverint. Præterea

revelatio mysteriorum est res ordinis supernaturalis et initium totius vitæ supernaturalis ad visionem Dei in cœlo conducentis; jamvero qui in originali peccato decedunt prorsus e supernaturali ordine in perpetuum sunt exclusi; ergo non decet ut Deus eis communicet supernaturale donum, quod initium est vitæ et finis supernaturalis, quibus in æternum sunt privandi. — Huic autem sententiæ, quod nempe istæ animæ cognitione amissæ cœli beatitudinis carent, expresse consentit S. Thomas. (*De Malo*, q. 5. a. 3.)

§ **IV.**

Q. Quali naturali beatitudine fruuntur illi, qui cum solo originali peccato decedunt?

R. *Cum communiori sententia tenendum videtur, eos gaudere iisdem bonis naturalibus, quibus in statu naturæ puræ fruerentur illi, qui ante rationis usum decessissent.*

—

I. Gradus certitudinis. Videtur hæc sententia esse *verior*. Eam tenent S. Thomas, Suarez, Lessius aliique magni theologi contra alios non paucos.

II. Explicatio responsi. In responso dicitur decedentem in solo originali peccato eadem bona obtinere, ac ille obtinuisset, qui in statu naturæ puræ ante rationis usum decessisset. Inde autem per se sequitur, utriusque sortem esse *materialiter* eamdem; verum inde non fluit ab utroque æqualiter *finem suum*, seu *beatitudinem sibi destinatam* obtineri : ille enim, qui in statu naturæ puræ ante rationis usum mortuus esset, vere obtineret suum finem, cum naturalis beatitudo esset ejus finis; verum qui in solo originali peccato decedit, orbatur suo fine, cœlesti nempe beatitudine sibi destinata. Ergo dici non potest eum qui in solo originali peccato decedit *obtinere suum finem, suam beatitudinem*. Ipse enim se habet ad illum qui in statu puræ naturæ ante rationis usum moreretur uti spoliatus se habet ad nudum. Spoliatus et nudus materialiter quidem sunt

in eodem statu; uterque nempe est sine vestibus; verum formaliter non sunt in eodem statu, nam spoliatus amisit vestes quas habuit, sed nudus nihil amisit. Ita pariter decedens in solo originali peccato, et ille qui in statu naturæ puræ ante rationis usum decedit, materialiter in eodem sunt statu, sed formaliter seu attenta finis obtentione non sunt in eodem statu, nam unus obtinet finem sibi destinatum, alter autem finem sibi destinatum non obtinet, sed inferiorem tantum

III. Demonstratio. Secundum communem theologorum sententiam per peccatum originale spoliatur seu privatur homo bonis gratuitis sive supernaturalibus sive præternaturalibus, non vero debitis sive naturalibus. Ergo illis, qui in solo originali peccato decedunt, necessario debentur illa bona debita sive naturalia, quæ in statu naturæ puræ ad illos pertinuissent qui ante usum rationis decessissent; secus enim propter originale peccatum spoliarentur naturalibus bonis. — Hanc conclusionem plene admittit S. Thomas in 2, *Sent. Dist.* 33, q. 2, a. 2, ubi dicit : « Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quan- » tum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam (per visionem » Dei); non tamen ab eo penitus sunt separati. Imo ipsi conjun- » guntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam » de ipso gaudere poterunt, naturali cognitione et dilectione. » Idem docet Suarez (*De Vitiis et Pecc.* Disp. 9, sect. 2, n. 18).

IV. Nota. Si quæratur *quænam sint bona illa, quæ in solo originali peccato decedentibus obtingent*, hæc videntur recte asseri posse : 1° Istæ animæ Deum quidem non videbunt, sed de Deo cæterisque entibus cognitionem naturalem obtinebunt in insigni gradu; et hanc naturalem cognitionem comitabuntur naturalis Dei dilectio, cæteræque virtutes naturales, etiam ad insignem perfectionis gradum elevatæ. « Cur non crederemus, » ait Lessius, *De Perf. div.* L. XIII, n. 145, ipsos excellenti » modo perficiendos esse in ordine naturalium bonorum, infra » dotes in substantia supernaturales, ut Deum cognoscere, amare

» et in æternum laudare possint. Quid enim aliud agerent in » hoc statu aliis omnibus negotiis cessantibus? » Scotus autem in 2. D. 33. q. 1. probabile censet : « eos omnium rerum natura- » lium cognitionem habituros longe majorem quam omnes philo- » sophi habuerunt. »

2° Post resurrectionem carnis, corpora eorum erunt *impassibilia* non per intrinsecam dispositionem, qualis habebitur in Sanctis, sed ex providentia Dei, qui efficiet ut nullum corpus eis noceat et nulla in eis corruptio fiat. Inde non indigebunt cibo aut potu, quia omnis corporis alteratio tunc cessabit; neque etiam indigebunt vestibus contra aëris intemperiem, nam aër eis non nocebit. Præterea nec submissi erunt concupiscentiæ carnis, ac proinde pudore non afficientur ex corporis sui nuditate. — Ratio autem horum est, quod passibilitas et concupiscentia vere naturam affligunt: ac proinde in statu termini, in quo natura ab omni malo debet esse libera, locum obtinere non possunt. Ita censent S. Thomas et Suarez in locis mox citatis.

Quod autem ad locum attinet, in quo post mortem illi degunt, qui in solo originali peccato decedunt, communiter docetur eum esse sub terra juxta limbum Patrum et purgatorium. Valde autem credibile est, quod post finem mundi Deus eis dabit locum amœnissimum et splendidissimum in terra nostra renovata.

CAPUT QUINTUM

De Purgatorio

Prænotanda. Per *purgatorium* locum intelligimus, in quo animæ justorum defunctorum pœnis temporalibus obnoxiæ satispatiuntur. Dicitur *satispatiuntur* et non *satisfaciunt*, quia *satisfacere* in proprio suo sensu significat mereri pœnæ cujusdam debitæ remissionem per alias pœnas voluntarie assumptas;

jamvero post mortem nullus amplius locus est cuivis merito; ergo satisfactio proprie dicta in purgatorio haberi non potest. Animæ autem istæ ibi pœnam temporalem contra se statutam luunt, et inde recte dicuntur *satispati,* seu pati qualiter et quandiu Dei justitia id postulat.

De purgatorio duo tantum puncta sunt de fide, scilicet purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero Missæ sacrificio, juvari.

Ut autem plenam de purgatorio obtineamus scientiam, inquirere debemus tum de existentia ejus, seu an sit purgatorium, tum de ejus quidditate, quæ sequentia puncta continet : quales sint hujus loci pœnæ, qualis sit animarum in eo degentium status quoad actus suos, et tandem an et quomodo animæ in eo degentes a fidelibus juvari possint.

§ I.

Q. An Purgatorium vere existit?

R. *Fides docet existere locum, in quo animæ justorum adhuc aut pœnis temporalibus pro peccato remisso luendis aut etiam aliquibus peccatis venialibus obstrictæ, antequam admittuntur in cœlum, puniuntur et ita mundantur; qui proinde locus jure merito purgatorium dicitur.*

I. Explicatio responsi. Observetur duplici ex causa, uti patet ex responso, animam justi ab immediato in cœlum ingressu impediri posse. Id enim fieri potest ex eo quod de hoc mundo decesserit vel peccato veniali nondum quoad culpam remisso obstricta, vel pœna temporali pro peccato quoad culpam remisso adhuc ligata.

II. Gradus certitudinis. Existentia purgatorii est veritas *de fide;* definita enim fuit in decreto Conc. Florentini pro unione Græcorum; et Conc. Tridentinum Sess. XXV tradit Ecclesiam, Spiritu sancto edoctam, ex SS. Litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis docuisse : « *Purgatorium*

„ *esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissi-*
„ *mum vero acceptabili altaris sacrificio juvari.* „

III. Errores. Varii hæretici circa hanc veritatem errarunt; præcipui autem sunt Lutherus et Calvinus. Hi enim, cum docerent justos internam non habere justitiam, sed ipsam justitiam Christi, in qua nulla imperfectio inest, eis imputari; necessario debuerunt concludere in justis, ubi moriuntur, nullam imperfectionem immediatum ingressum cœli impedientem inveniri posse, cum ipsa Christi justitia eis imputetur; ac proinde purgatorium existere non posse, utpote inutile.

IV. Demonstratio. 1° *e S. Scriptura. a)* Legimus in Lib. II Machabæorum Judam, cum invenisset sub tunicis occisorum militum de donariis idolorum, quæ Judæi juxta legem *Deuter*ii VII, debebant delere sibique servare non poterant, misisse pecuniam ut in templo Hierosolymitano sacrificia offerrentur, *quia considerabat*, ut adnotat scriptor sacer, *quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant*, milites scilicet, qui, postquam donaria illa sibi servaverant, pro fide pugnando sancte obierant (quod eorum peccatum non impediebat vel quia pœnitentiam de hoc peccato egerant, vel quia hoc peccatum non fuerat grave propter ignorantiam vel materiæ parvitatem), *optimam haberent repositam gratiam*, seu misericordiam a Domino exspectare possent. Quæ postquam exposuit auctor inspiratus, addit : *sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Jamvero ex iis apparet, tum secundum fidem Judæorum, tum secundum doctrinam auctoris a S. Spiritu collustrati, posse in altera vita animas a peccatis solvi per suffragia fidelium. Sed a peccatis vel eorum pœnis non solvuntur nec animæ damnatorum in inferno, ubi nulla est redemptio, nec animæ beatorum in cœlis, ubi nulla potest esse culpa vel pœna. Ergo solvuntur a peccatis animæ, quæ in medio statu temporariæ purgationis post mortem versantur, ac proinde constat existere purgatorium.

Adversarii, ut hujus testimonii vim effugiant, negant vel canonicitatem libri vel authenticitatem hujus loci. At perperam : nam liber ille ab antiquissimis temporibus in Ecclesia fuit receptus, sæpe a Patribus refertur, ac proinde eamdem habet auctoritatem ac cæteri libri canonici. Verum quidem est libros Machabæorum non reperiri in canone Judæorum; sed nihil inde sequitur, quoniam canon ille tempore Esdræ confectus est, antequam hi libri essent conscripti. — Citati autem testimonii authenticitas adeo certa est, ut nunquam vel *unum* exemplar inventum fuerit, in quo locus ille deesset.

Dein notari potest, quod pro illis, qui librorum Machabæorum canonicitatem negant, isti libri saltem habent illum valorem historicum, qui etiam profanis scriptis tribuitur; ac proinde ipsi ex eis admittere debent, in ecclesia Judæorum tot ante Christum annis jam in usu fuisse non solum pro defunctis orare, sed etiam publico ritu pro illis sacrificium offerre. Jamvero hæc praxis sola jam solidum pro purgatorii existentia præbet argumentum.

b) Christus Matth. XII, 32, de peccato in Spiritum S. dicit : « *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.* » Asserit autem aliquod esse peccatum, quod neque in hoc sæculo neque in futuro remittitur; ac proinde implicite docet esse aliquod peccatum, a quo quis solvi potest in futuro sæculo. Sed nulla in futuro sæculo fit a peccatis solutio in cœlo vel in inferno. Ergo existit locus specialis in quo solutio a peccatis fit, qui est purgatorium.

Observetur juxta strictas logicæ regulas e Christi verbis deduci non posse hanc conclusionem : « ergo datur peccatum, » quod in futura vita remittitur; » nam ex duabus negationibus, quales hic occurrunt, per se nihil sequitur : verum, attenta prudentiæ in loquendo regula, conclusio nostra est legitima; quia, si tale peccatum non detur, Dominus ineptissime esset locutus. Haud minus inepte dixisset tunc Dominus : « hoc pec- » catum non remittetur, neque in hac vita neque in futura, »

ac inepte aliquis pater diceret ad filium suum : « non dabo tibi » hoc donum, neque nunc, neque post mille annos. »

c) Legitur I Cor. III, 12, et seqq : « *Si quis superædificat* » *super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pre-* » *tiosos, ligna, fœnum, stipulam : uniuscujusque opus mani-* » *festum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne* » *revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* » *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem* » *accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse* » *tamen salvus erit : sic tamen quasi per ignem.* » In hisce verbis S. Paulus sermonem instituit de prædicatoribus qui veram fidem a se jam prædicatam non quidem destruunt, sed ubi prædicant aut ex vana gloria loquendo aut de rebus inutilibus et vanis tractando venialiter peccant; et docet quænam sit futura eorum sors in altera vita. Id autem sub sequenti metaphora exponit : vos, ait, qui post me evangelium prædicatis, estis ædificatores Ecclesiæ Christi, munusque vestrum est solidum ædificium Christo construere. Jamvero alii inter vos hoc ædificium solide construunt, superædificant nempe super fundamentum a me positum aurum, argentum et lapides pretiosos h. e. doctrinam omnino sanctam et solidam; alii vero haud solide hoc ædificium perficiunt, nam tantum lignum, fœnum et stipulam h. e. doctrinam minus solidam et vanam superædificant. Veniet autem dies judicii (directe quidem hic sermo fit de judicio ultimo, sed simul intelligendum est judicium particulare; nam hæc duo judicia in Scripturis secerni non solent, cum universale judicium sit confirmatio et manifestatio judicii particularis), et Dominus tunc probabit ædificationem vestram, apponendo nempe ignem, ut videat an sit solida. Igne apposito, domus ex auro, argento vel lapide pretioso constructa non consumetur sed firma manebit; et ejus auctor pro bono suo opere mercedem accipiet; ædificatio autem ex ligno, fœno aut stipula igne destruetur et peribit; et ejus auctor pro malo suo

opere punietur. Ipse tamen non punietur in æternum; sed salvus fiet; verumtamen sic tantum salvus fiet, subeundo nempe prius ignem, pœnam scilicet mali sui operis. Ut enim ex ædificio suo, quod igne consumitur, salvus evadat, debebit per ignem transire. Luculenter igitur ex hoc loco constat post mortem existere peccati pœnas, quæ non sunt æternæ sed temporariæ; ergo existit purgatorium.

2° *ex Traditione*. Quod Ecclesia semper tenuit purgatorium existere, aperte liquet ex ejus constanti praxi orandi pro defunctis, de qua innumeri habentur testes. Ita S. Augustinus librum integrum scripsit de cura pro mortuis; nec tantum eam docuit, sed etiam respectu matris suæ defunctæ ex corde in praxim deduxit, uti ipse narrat Lib. 9. *Confess*. c. 13. Dein etiam *Serm*. 172. n. 2, dicit : « Orationibus S^tæ^ Ecclesiæ et „ sacrificio salutari et eleemosynis, quæ pro eorum (defunctorum) „ spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, „ ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum pec- „ cato meruerunt. *Hoc enim a Patribus traditum universa* „ *observat Ecclesia*. » S. Isidorus *de Eccl. Offic*. Lib. I. C. 18. pariter dicit : « Sacrificium pro fidelium defunctorum requie „ offerre, vel pro eis orare, quia per *totum* orbem hoc custoditur, „ credimus, quod *ab ipsis Apostolis* traditum sit. Hoc enim „ *ubique* Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus „ defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel „ eleemosynam faceret vel sacrificium Deo offerret. »

3° *ex ratione theologica*. Facile fieri potest, ut anima venialibus peccatis, quorum pœnitentiam non egerit, inquinata ex hoc mundo discedat, aut, ut anima ex hac vita migret post acceptam quidem peccatorum remissionem, sed antequam dignis pœnitentiæ fructibus exsolverit pœnam temporalem, quæ, remissa culpa, manebat luenda (Cfr. Trid. Sess. VI, c. 14). Jamvero illæ animæ non possunt in cœlum ingredi, nisi ultima pœna soluta, quia non intrat in illud aliquod coinquinatum (Apoc. XXI, 27). Neque

etiam in infernum dejici possunt; cum utpote in amicitia Dei et in conditione filiorum Dei adoptivorum constitutæ jus habeant ad hæreditatem vitæ æternæ, quæ eis quidem differri, non vero prorsus negari potest. Porro qui purgatorium non admittunt, necessario debent illis animabus, in fine vitæ temporali pœna adhuc ligatis aut in veniali peccato decedentibus ex hoc mundo, omnem spem salutis adimere, vel debent statuere eas statim in cœlum esse recipiendas, ac si omnino essent puræ et sanctæ : quod utrumque virtutis studium in homine et justitiam divinam evertit, et ideo falsum sit necesse est. Ergo admittendum est purgatorium vere existere.

V. **Objectiones.** **1°** Christus, aiunt, abunde satisfecit : ergo animabus justis nihil solvendum restat.

R. Abunde quidem satisfecit quoad sufficientiam pretii oblati; sed non voluit Deus, ut adultis Christi satisfactiones et merita applicarentur sine ipsorum operibus concurrentibus; et inde opera nostra sunt necessaria ut merita Christi nobis applicentur. Per merita nempe Christi remissio peccati nobis est oblata et cœlum est apertum, quod sine istis meritis non fuisset; verum ut hanc remissionem et cœlum obtineamus, varia a nobis manent implenda.

Obj. 2° Eccl. XI, 3 dicitur : « *Si ceciderit lignum (h. e.* » *homo moriens) ad austrum, aut ad aquilonem, in quocum-* » *que loco ceciderit, ibi erit.* » Ergo post hanc vitam sunt tantum duo loca, cœlum scilicet et infernus.

R. Hisce verbis declaratur post hanc vitam tantum duas esse sortes *definitivas*, in quibus homines in æternum manebunt; quod et nos asserimus. Verum minime dicitur animas ad beatam sortem destinatas, si plene puræ nondum sint, non debere, antequam in cœlum admittantur, justas luere pœnas. Ergo ex hoc textu contra doctrinam nostram nihil sequitur.

Obj. 3° Dicitur Sap. IV, 7 : « *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit;* » ergo nunquam torquebuntur justi in purgatorio.

R. Ut objectio valeret, demonstrandum esset in hoc textu omnem pœnam a justis post mortem subeundam excludi; sed id sane fieri non potest. Generali modo tantum in eo asseritur, quod justi post mortem erunt felices; sed jam felix est sors illorum, qui certi sunt de salute sua æterna, et tantum temporariam debent subire pœnam, antequam in cœlum intrent. Ergo.

Obj. 4° Omnes peccatorum maculæ et pœnæ solvuntur per mortis acerbitatem et dolores, et anima morte satis purgatur, ut dein ad vitam æternam statim transire possit. Ergo inutile est purgatorium, ac proinde non existit.

R. Ut omnia venialia peccata et peccatorum pœnæ, quibus morientes possunt esse inquinati, semper per mortis dolores solverentur, oporteret ut morientes veniali peccato inquinati semper in morte de culpa sua attritionem (sine qua personale peccatum dimitti non potest) conciperent, et Deus mortis acerbitatem ut sufficientem cujusvis pœnæ temporalis luendæ expiationem haberet. Jamvero neutrum istorum punctorum potest e doctrina catholica probari : imo inde eruitur contrarium. Etenim quod attinet ad attritionem concipiendam, sæpe eveniunt repentinæ mortes, in quibus nulli bono operi locus dari videtur. Dein quod ad acceptationem mortis a Deo in plenam debiti solutionem spectat, nulla ratio patitur, ut secundum ordinariam legem eadem pœna purgentur, tum qui parum tum qui multum debent, præsertim cum acerbiores mortes sæpe illi sustineant, qui justiores sunt. Præterea, ubi est privilegium martyrii, si omni morti commune sit omnem pœnam purgare? Ad quid sunt necessaria suffragia pro defunctis, si mors omnia purget? Cur tandem Deus hac universali lege faveret hominum negligentiæ satisfaciendi in hac vita, cum securi essent de plena remissione in morte obtinenda. Hæc omnia clare ostendunt Deum certe haud semper mortem ut cujusvis pœnæ sufficientem expiationem habere. Ergo concludendum est hominem in morte a temporariis suis erga Deum debitis communi lege non purgari; ac proinde ruit objectio.

VI. Scholion. Cum de venialibus peccatis in purgatorio delendis locuti simus, quæri hic potest, qua ratione ista peccata post hanc vitam quoad culpam deleri possint, siquidem status viæ per mortem cessat, et cessante statu viæ cessat quoque omne meritum vel demeritum.

Duæ circa hanc quæstionem habentur sententiæ apud theologos. Alii cum Scoto admittunt nullum peccatum post hanc vitam quoad culpam remitti posse, et idcirco opinantur venialia peccata, si quædam adsint, semper in articulo mortis remitti, Deo providentia speciali gratiam sufficientem ad hunc finem infundente. Alii autem cum S. Thoma plurimisque celeberrimis theologis docent nihil obstare, quominus veniale peccatum post mortem in justis quoad culpam remittatur; et id probant ex ipsa hujus peccati natura. Hoc enim peccatum de se æternam iram non meretur, sed veniam postulat statim ac anima ipsum detestetur : unde hujus peccati post mortem remissio potius fluit ex ipsa peccati venialis natura quam ex hominis actione. Requiritur quidem a parte hominis istius peccati detestatio, sed hic actus se habet non ut positivam dispositionem aut ut meritum, sed unice ut conditionem *sine qua non*. Ergo ad peccati venialis post mortem remissionem non requiritur meritum vel positiva dispositio, quæ post mortem locum amplius habere non possunt; ac proinde nihil obstat quominus hoc peccatum post mortem quoad culpam remittatur.

Notetur haberi tamen in hac sententia differentiam inter remissionem peccati venialis in hac vita et in altera vita. Ubi enim remittitur in hac vita quoad culpam, simul remittitur saltem aliquatenus quoad pœnam, nam bonæ hominis justi dispositiones, quæ requiruntur pro remissione venialis peccati, necessario sunt meritoriæ et satisfactoriæ. Post hanc vitam autem peccatum veniale remittitur quidem quoad culpam, nullatenus vero quoad pœnam, quia tempus meriti cessavit.

Videtur sententiæ S. Thomæ esse subscribendum : rem enim

clare exponit et nulla solida ratione infirmatur. Altera autem sententia nititur hypothesi, quæ est prorsus gratuita, atque insuper cum experientia pugnare videtur.

Si nunc quæratur quandonam hæc remissio post mortem fiat, probabile omnino videtur id statim fieri post animæ in purgatorium ingressum. Statim sane amabit tunc Deum ex toto corde et peccatum suum detestabitur; et sic conditionem implebit ad hujus peccati remissionem requisitam.

§ II.

Q. QUALES SUNT PŒNÆ PURGATORII?

R. *In purgatorio habetur tum pœna damni tum pœna sensus; et præcipuum pœnæ sensus instrumentum est ignis verus et materialis.*

—

I. Gradus certitudinis. De *fide* est haberi in purgatorio pœnam damnì; nam id implicite continetur in dogmate de purgatorii existentia. In ipso etiam haberi pœnam sensus est *theologice certum*, utpote nec ab Ecclesia definitum nec clare in fidei fontibus contentum, sed ex eis evidenter deductum. Quod autem ad ignem purgatorii attinet, Græci in Conc. Florentino ignem non materialem sed metaphoricum tantum in purgatorio haberi contenderunt, quin ideo damnati fuerint; attamen *probabilissimum* est in purgatorio verum haberi ignem.

II. Demonstratur existentia pœnæ damni. Existentia pœnæ damni in purgatorio fluit ex ipso de purgatorii existentia dogmate. Etenim per purgatorium intelligimus locum a cœlo essentialiter distinctum, in quo animæ justorum nondum plene puræ satispatiuntur. Jamvero cœlum essentialiter in Dei visione consistit; ac proinde si purgatorium Dei visionem contineret, jam non esset locus a cœlo essentialiter distinctus. Ergo admittendum est in purgatorio pœnam haberi damni, vel neganda est purgatorii existentia.

III. Demonstratur existentia pœnæ sensus. In peccato veniali certe habetur naturalium facultatum abusus; jamvero huic abusui pœna sensus sola respondet, ut diximus pag. 36; ergo. — Dein purgatorium certe a Deo est institutum, ut homo ejus timore peccatum veniale vitaret et pœnas pro peccato remisso adhuc debitas in terris exsolveret. Jamvero, uti in eodem loco diximus, sola pœna damni ad id efficaciam non habet, et sine pœna sensus salutaris timor homini injici non potest. Ergo.

IV. Demonstratur existentia veri et materialis ignis. Inprimis habemus S. Pauli textum I. Cor. III, 15 : « *Si cujus* » *opus arserit, detrimentum* (græce : *pœnam, mulctam*) » *patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per* » *ignem;* » cujus sensus est : ille ædificator, cujus opus igne comburetur, pœnam patietur, quia haud bene suo munere functus est; non tamen peribit seu in æternum punietur, sed salvus fiet; verumtamen non salvus fiet, sicuti bòni operarii, sed salvus fiet transeundo per ignem, seu mediante ignis pœna, qua pro suo malo opere plectetur. Jamvero iste *ignis* hic certe designat purgatorii pœnam; ac proinde, nisi hanc vocem metaphorice intelligamus, constat ex verbis S. Pauli, in purgatorio verum haberi ignem. Sed nulla adest ratio, ut hanc vocem in proprio suo sensu non sumamus, eo vel maxime, quod in inferno ignis certe est pœnæ sensus instrumentum. Ergo.

Huc accedit auctoritas multorum Patrum, qui expresse docent, verum ignem in purgatorio haberi. Ita S. Hilarius in Ps. 118, purgatorium nuncupat : « *indefessum ignem, in quo* » *gravia sustinentur supplicia, quibus animæ a peccatis* » *expiantur.* »

Præterea ratio theologica idem suadet. In inferno damnati certe torquentur igne; jamvero si ignis a Deo in pœnam sensus pro damnatis est institutus, ratio suadet eum quoque pro purgatorio a Deo fuisse assumptum. Etenim Deus in operibus suis

semper ordinem servat; ac proinde in inferno et in purgatorio diversas sane non instituit pœnas, nisi id necessarium vel utile fuerit. Insuper eædem pœnæ, quæ damnatis infliguntur, seposita æterna earum duratione, etiam animis purgandis recte infligi possunt, cum peccatum veniale ad mortale se habeat, uti legis divinæ violatio incompleta ad completam. Ergo.

V. Quæstiones subsidiariæ ad naturam pœnarum purgatorii magis exponendam.

Q. I. *Quantæ sunt pœnæ purgatorii respectu ad pœnas hujus vitæ?*

R. S. Thomas et multi alii scholastici docent *minimam* purgatorii pœnam excedere *maximam* pœnam hujus vitæ; et hæc sententia videtur *maxime probabilis*. Inprimis quod in purgatorio pœna damni omnem hujus vitæ tristitiam, quæ ex bonorum deperditione oriri potest, per se excedit, facile intelligitur. Etenim istæ animæ intelligunt infinitam cœli excellentiam, illudque quam maxime desiderant; atque simul vident se illo privari eo tempore, quo illo fruendum erat; et quidem se hac beatitudine privari ob suam culpam, ob stultam nempe negligentiam, vilissimamque aliquam delectationem aut naturæ suæ inutilem satisfactionem. Dein apprehendunt hæc omnia sine ulla intermissione; mens enim constanter in ea fertur, et inde assidue dolent. Jamvero in hoc mundo homo tantum bonum, quale est cœlum, deperdere nullatenus potest; et etiamsi hujusmodi bonum deperdere posset, saltem constanter istius damni non posset esse memor cum necessario detur attentionis interruptio per somnum, per varias mentis distractiones, per hominum colloquia. Ergo. — Quod autem ad pœnam sensus attinet, ratio postulat ut minima pœna sensus purgatorii maximam hujus vitæ excedat. — Etenim, uti jam diximus, per timorem pœnæ sensus purgatorii homo tum a peccato veniali est arcendus, tum ad satisfaciendum juxta Christi doctrinam pro peccatis quoad culpam tantum remissis est movendus.

Jamvero si pœna sensus purgatorii non excederet omnem hujus vitæ pœnam, sane ejus timore haud semper retraheretur homo a peccato veniali. Toties nempe ab eo non retraheretur, quoties ad illud vitandum, mala deberet subire, quæ purgatorii pœnam excederent; siquidem humana natura de se in illud fertur, quod sibi est melius. Ergo pœna sensus purgatorii non esset sufficiens legis divinæ omne veniale peccatum vetantis sanctio, si omnem hujus vitæ pœnam non excederet. — Præterea nec in hoc casu ista pœna hominem ad satisfaciendum juxta Christi doctrinam pro peccatis suis quoad culpam tantum remissis efficaciter impelleret. Christiana enim doctrina nos hortatur, ut opera pœnitentiæ maxime ardua assumamus, et in summis hujus vitæ angustiis plene simus patientes, imo cum gaudio eas feramus, cum ipsæ sint facillima media ad peccata nostra expianda. Jamvero si pœna sensus purgatorii haud semper omnem hujus vitæ pœnam excederet, hæc omnia fundamento carerent; nam melius esset haud magnam pœnitentiam agere in hoc mundo, et pœnam purgatorii exspectare, cum forte illa minor futura sit malis et afflictionibus hujus vitæ. Ergo ut timor pœnæ sensus purgatorii nos efficaciter impellat ad satisfaciendum juxta Christi doctrinam pro peccatis nostris in hac vita, oportet ut hæc pœna omnem hujus vitæ pœnam excedat. De sententiæ nostræ autem veritate certe persuasi erant Sancti illi, qui dixerunt : « *hic seca, Domine, hic ure, modo in altera vita parcas.* »

S. Bonaventura autem et Bellarminus haud admittunt S. Thomæ sententiam, et dicunt maximam quidem purgatorii pœnam graviorem esse maxima hujus sæculi pœna; non tamen minimam pœnam purgatorii majorem esse maxima hujus vitæ. Verum haud firma est hæc opinio; nam, ut eam stabiliant, non habent nisi aliquas revelationes particulares in apparitionibus animarum factas. Jamvero exinde nihil certe colligitur, quia nescimus tum an apparitiones illæ revera sint factæ, tum etiam quo sensu res in illis visæ aut auditæ sint intelligendæ.

Cæterum, quod pœnæ purgatorii sunt maximæ, clare etiam patet ex sollicitudine Ecclesiæ nos hortantis, ad animas istas juvandas; necnon ex eo quod in altera vita non amplius locus datur misericordiæ, sed soli justitiæ.

Q. II. *Quantæ sunt pœnæ purgatorii respectu ad pœnas inferni?*

R. Multo mitiores sunt pœnæ purgatorii quam inferni; nam maxime alleviantur ex Dei amicitia, ex securitate salutis, necnon ex patienti erga Dei voluntatem submissione. Præterea probabile est animas in purgatorio a dæmonibus non vexari, quia de illis triumpharunt.

Ne quis tamen opinetur pœnas purgatorii ex ista voluntatis submissione quasi penitus exstingui; nam quamvis voluntas eas libere amplectatur, quatenus a Deo justo vindice sunt inflictæ, atque conducunt ad salutem consequendam, et ita ex eis non doleat; eas tamen simul detestatur utpote summum infligentes dolorem, et ita ex eis maxima afficitur tristitia. Id clare intelligitur per sequens exemplum : ubi aliquis ex medici præcepto ad sanitatem recuperandam debet subire adustionem, potest eam libere acceptare, uti sapienter impositam atque sibi utilissimam; et ex hoc capite de ea non dolere. Verum simul eam maxime detestatur, utpote corpus summe torquentem, et ita ex ea maxime affligitur. — Præterea animæ istæ se divinæ voluntati conformando, non tantum se submittunt sententiæ Dei pœnas infligentis, sed etiam odio Ejus in peccatum ab ipsis commissum, et nondum plene expiatum; atque inde etiam dolent.

Q. III. *An omnes æque graviter puniuntur in purgatorio?*

R. Negative; sed pro ratione debiti major vel minor pœna infligetur, uti constat e rationibus supra datis ad demonstrandam inæqualitatem pœnæ inferni juxta inæqualitatem demeritorum.

Q. IV. *An pœna purgatorii paulatim fit remissior?*

R. Incertum hoc est; videtur tamen dicendum tristitiam et dolorem necessario eo plus minui, quo magis propinquat pœnarum finis.

Q. V. *Quanto tempore animæ in purgatorio manent?*

R. Quamvis determinate non constet, quandiu animæ in purgatorio puniantur, tria tamen circa illarum pœnarum durationem certa sunt : nempe 1° omnes animas non æque diu in purgatorio manere; 2° solere aliquas animas satis longo tempore in purgatorio cruciari; et 3° neminem ultra diem extremi judicii in purgatorio detinendum esse; atque adeo post hoc judicium finiendum esse purgatorium, omnesque homines vel in cœlo vel in damnationis loco h. e. in inferno vel in limbo esse collocandos.

Primum probatur ex ipsa inæqualitate pœnarum purgatorii. Duratio sane est unum e præcipuis mediis, quibus aliqua pœna augeri vel minui potest. Ergo concludendum est Deum, qui omnia sapientissime ordinat, etiam hoc uti medio ut aliam atque aliam pœnam pro varia demeritorum ratione animis purgandis infligat. — S. Thomas putat purgantis pœnæ durationem potius pendere a majori vel minori hominis peccato adhærentia, quam a peccati ejus gravitate; ita ut qui magis peccato etiam minori adhæsisset, diutius in purgatorio maneret, quam ille qui majus peccatum commisisset, sed minus huic adhæsisset peccato.

Secundum probatur ex Ecclesiæ consuetudine, secundum quam in anniversariis defunctorum oratur et Missa offertur etiam pro eis, qui jam ante aliquot annorum centurias mortui sunt. Etenim Ecclesia id certe non faceret, nisi persuasa esset fieri posse, ut quædam animæ longo tempore in purgatorio maneant. — Quod autem hæc consuetudo est valde antiqua, liquet ex S. Augustino, qui in lib. 9. *Confess.* c. 13 orat pro matre sua ultra 30 annos mortua, et rogat, ut quotquot ista legerent, ejus memores essent ad altare.

Huic doctrinæ non obstat, quod per martyrium omnia debita solvuntur, quia hoc ex speciali privilegio sublimi isti virtutis

actui est proprium. Nec etiam obstat, quod in terris per levia opera Deo possumus satisfacere, cum hic possimus mereri et Deus misericordiam suam super nos extendat, sed in altera vita tempus meriti et misericordiæ cessat, et sola regnat justitia.

Tertium autem probatur ex sententia quam Dominus in judicio proferet. Ex omnibus nempe, quos juxta propria eorum opera judicaturus est (i. e. ex omnibus adultis) duos tantum ordines constituet : alterum scilicet eorum, quibus dicet : « *Possidete regnum* etc. »; alterum autem eorum quos in infernum depellet dicens : « *Discedite a me, maledicti.* » (Matt. XXV.) Parvulos autem, qui sine baptismo decesserunt, satis constat non futuros in purgatorio.

Idem constat ex luculenta Patrum doctrina. Ita S. Augustinus *De Civ. Dei,* L. XXI, c. 16, dicit : « Quisquis cupit pœnas » evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam » justificetur in Christo.... Purgatorias autem pœnas nullas » futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque » judicium. »

Q. VI. *Ubinam est purgatorium?*

R. Theologi fere omnes ex Patrum traditione docent purgatorium esse determinatum locum sub terra inferno damnatorum vicinum.

Putat tamen S. Thomas aliquando animas extraordinarie extra illum locum purgari. « In diversis locis, ait *Append.* » q. 2, *de purg.*, aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum in- » structionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus » eorum pœna innotescens per suffragia Ecclesiæ mitigaretur. »

§ III.

Q. IN QUO STATU SUNT ANIMÆ PURGATORII QUOAD ACTUS SUOS?

R. *Istæ animæ ornatæ sunt virtutibus theologicis, necnon virtutibus moralibus charitati annexis; et earum ope eliciunt, sed sine merito, supernaturales actus fidei, spei et charitatis,*

atque quosvis supernaturales virtutum moralium actus, qui ad ipsarum conditionem pertinent. Insuper sunt plene certæ de sua salute et impeccabiles seu plene in gratiâ confirmatæ.

—

I. Explicatio et demonstratio. 1° *Animas purgatorii virtutibus theologicis et virtutibus moralibus charitati annexis esse ornatas,* facile ostenditur. Istæ enim virtutes, uti diximus *de Gratia* p. 142, eadem ratione gratiæ sanctificanti ad actus supernaturales ponendos debentur, ac facultates intelligendi et volendi animæ ad ponendos actus intellectuales et liberos. Jamvero illæ animæ, utpote in Dei amicitia defunctæ, certe habent gratiam sanctificantem. Ergo. — Nec quis opinetur saltem non omnes has virtutes posse in eis manere, ea ratione nixus quod plurimi actus hujus vitæ in purgatorio locum non obtineant, et ita etiam virtutes, quibus isti actus eliciuntur, necessario cessent utpote inutiles. Etenim indubie manent actus a virtutibus theologicis eliciendi ; norunt nempe istæ animæ fide tantum veritates revelatas, nam nondum eas vident facie ad faciem, ac proinde debent credere; nondum etiam possident cœlestem beatitudinem sed illam exspectant, ac proinde debent sperare; tandem Deum summum suum bonum fide notum, in quem per spem tendunt, necessario debent amare. Dein quod ad virtutes morales attinet, sane plures actus, qui in hac vita ab eis eliciuntur, cessant in purgatorio, uti v. g. actus temperantiæ in re venerea aut in usu cibi et potus, sed tamen longe abest ut ibi omnino omnes actus eis proprii cessent. Ita *prudentiæ* ibi est nullum bonum Deo præponere vel æquare; *justitiæ*, esse subditum Deo eumque colere et laudare; *fortitudinis*, Deo firmissime inhærere et patienter pœnas ferre; et *temperantiæ*, nulla re mala delectari.

2° Dicitur *actiones istarum animarum esse sine merito;* constat enim statum viæ per mortem cessare, uti supra docuimus

p. 10. Cum autem ibi nullum detur meritum, atque etiam nullus sit sacramentorum usus (quia nempe status viæ cessavit), liquet gratiam sanctificantem et virtutes supernaturales in animis istis semper manere in eo gradu, in quo erant in hora mortis.

3° Dicitur *has animas de salute sua plene certas esse.* Id autem certe constat ex damnatione prop. 38 Lutheri : « Animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes; » ac dein etiam facile ratione theologica demonstratur. Etenim certe norunt illæ animæ, salutem consecuturos eos omnes, qui sunt in purgatorio ; ac simul certe sciunt se esse in purgatorio. Igitur per evidentem et certam consequentiam cognoscunt se salutem consecuturas. Purgatorium esse cœli atrium, norunt tum ex fide in hoc mundo habita, tum etiam ex accepto in judicio lumine, quo certe unusquisque plene instruitur circa naturam sortis sibi destinatæ. Quod autem sunt in purgatorio, necessario norunt ex sententia, quam in judicio audierunt.

4° Dicitur *has animas esse impeccabiles seu in gratia plene confirmatas.* Sequenti modo id demonstratur : Ut animæ istæ certæ sint de futura sua salute, duo necessario cognoscere debent : se nempe esse in statu gratiæ, et se non amplius posse vel mortaliter vel venialiter peccare; nam si adhuc mortaliter aut etiam venialiter tantum peccare possent, damnari possent in æternum vel saltem ab ingressu cœli indefinite impediri. Jamvero istæ animæ certæ sunt de sua salute. Ergo.

II. Quæstiones subsidiariæ ad hanc materiam magis elucidandam.

Q. I. *Undenam animæ istæ plene in gratia sunt confirmatæ?*

R. Dicendum est cum Suarez, (T. IV. in 3. p. disp. 47. S. I. n. 9) : « illam confirmationem non haberi ab intrinseco ex aliqua » interna perfectione actuali, habituali vel naturali; quia non » vident istæ animæ Deum, ut inde confirmentur in bono; nec » soli habitus possunt tantam immutabilitatem conferre; nec

» anima separata natura sua potius est impeccabilis, quam » angelus. Divina ergo gratia et protectio est, quæ illas animas » in bono confirmat ratione illius status, ad quem duo spec- » tant : unum est, ut pœna illa tantum temporalis esse possit; » aliud est, ut inde sit transitus infallibilis ad gloriam. Ad » utrumque autem necessaria est confirmatio in bono, et » carentia omnis peccati, nam per mortale amitteretur gratia; » per veniale autem posset pœna illa semper magis ac magis » protrahi. Est autem facile Deo hanc confirmationem tribuere, » sicut illam tribuit animabus sanctorum Patrum in sinu » Abrahæ, et alicui viatori interdum illam contulit. »

Q. II. *An animæ istæ, quamvis nullatenus mereri possint, orando aliquid obtinere possunt tum pro se tum pro nobis?*

R. Olim theologi communius docuerunt istas animas nec pro se nec pro aliis quidquam orando impetrare posse; sed contraria sententia hodiedum sat communiter defenditur. Docent nempe multi : *a)* eas sibi beneficium a Deo impetrare posse; et id valde probabile est, cum nihil obstare videatur, quominus istæ animæ liberationem suam a Deo juxta providentiæ ejus ordinem vere petere possint, et Deus non ex justitia aut ex decentia (quæ meritum supponunt), sed ex mera liberalitate eis orantibus aliquid concedere possit : *b)* eas etiam nobis gratias posse impetrare. Et sane nihil obstare videtur quominus id vere fiat : ipsæ enim sunt Deo caræ propter statum gratiæ sanctificantis, orare possunt atque ex propria experientia nostras noverunt necessitates; et Deus certe potest ex liberalitate earum preces audire. Attamen nihil hac de re plene certum est, cum Deus earum preces non audire in peccati pœnam forsan statuerit.

Q. III. *An liceat illas animas invocare?*

R. Quidam theologi notam singularitatis inurunt illis, qui in praxi animas illas invocarent; verum Bellarminus dicit id esse eodem modo licitum, ac petere preces piorum hominum in terris viventium.

Interim Ecclesia in officiis suis sacris animas illas non invocat; et recte quidem, cum plane certum non sit, an animæ istæ aliquid nobis impetrare possint.

Q. IV. *An animæ istæ aliquid cognoscunt de mundo, uti suffragia a fidelibus pro ipsis Deo oblata, necessitates parentum; etc.?*

R. Id est valde dubium : forsan ad debita sua exsolvenda circa hæc omnia laborant plena ignorantia; forsan etiam Deus hoc puniendi medio non utitur, et eis istam notitiam tribuit.

III. Nota. In officio defunctorum (in psalmis, responsoriis, etc.) haud raro quædam occurrunt, quæ cum doctrina exposita non plene concinere videantur. Verum ad has difficultates enodandas, hoc solum notandum est : in officiis sacris psalmos et alios textus subinde recitari ob unum alterumve versiculum eis convenientem; ac proinde reliqua neque debere neque posse de hisce officiis intelligi, sed totum psalmum vel textum legi per modum orationis et laudis Dei.

§ IV.

Q. An animæ in purgatorio per fideles viventes juvari possunt?

R. *Doctrina catholica docet eas suffragiis fidelium vivorum vere juvari posse.*

I. Gradus certitudinis. Id est *de fide*, utpote in Flor. et in Trid. Sess. XXII et XXV ut fidei dogma definitum.

II. Explicatio. Observetur : 1° In Ecclesiæ definitione duo haberi; scilicet, animas purgatorii a fidelibus vivis juvari posse, et medium, quo juvantur, esse ipsorum suffragia.

2° Has animas non per actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, qua quis directe a peccatis (per absolutionem sacramentalem) et a pœnis (per absolutionem sacramentalem et indulgentiam) absolvitur, juvari posse; sed unice per fidelium suffragia. Ratio

autem est, quod ipsæ jam Dei judicium subierunt, ac proinde Ecclesia in eas nullam amplius habet jurisdictionem.

3° Per *suffragia* (suffragium proprie idem est ac votum, oratio) hic intelligi orationes atque opera bona, quæ fideles Deo in levamen istarum animarum offerunt.

III. Demonstratio : 1° *e. S. Scriptura.* Ex verbis II Libri Mach. mox citatis : « *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,* » clare liquet animas purgatorii fidelium suffragiis juvari posse.

2° *e Traditione.* Ecclesiam semper hoc dogma admisisse plene constat tum ex constanti et universali ejus praxi pro animabus purgatorii suffragia offerendi (quod sane non fecisset, si non credidisset hæc suffragia eis prodesse posse), tum ex aperta Patrum doctrina. — Hanc autem praxim in omni ætate vere extitisse demonstrant textus supra ad purgatorii existentiam probandam citati, tum omnes antiquæ Liturgiæ Ecclesiæ catholicæ et etiam cœtuum hæreticorum et schismaticorum libri. Testatur enim Lebrun *(Explic. Missæ, Diss.* 10) liturgias omnes ante sæc. XVI editas, nulla omnino excepta, memorias et preces continere pro mortuis. Animas autem purgatorii vere nostris suffragiis juvari posse docent S. Augustinus et S. Isidorus in textibus mox citatis, necnon S. Cyrillus Hier. *Catech. Mystag.* 5 dicens : « Pro omnibus oramus, qui inter nos » defuncti sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, » quod in altari positum est, sacrificium. »

Observetur præsens doctrinæ punctum partem esse dogmatis de *communione Sanctorum.* Hæc enim, uti fides docet, non solum est inter fideles Ecclesiæ militantis, sed etiam extenditur ad illos, qui sunt in Ecclesia triumphante seu in cœlo, et ad illos qui sunt in Ecclesia patiente, seu in purgatorio; in quantum nempe animæ in purgatorio adjuvantur a nobis, et Beati nos adjuvant.

IV. Objectiones. 1° S. Paulus I. Cor. III, 8, dicit : « *Unus-*

„ *quisque propriam mercedem accipiet secundum suum* „ *laborem;* „ ergo animæ purgatorii nostris suffragiis juvari non possunt, cum inde sequeretur ipsas mercedem accipere secundum laborem alterius.

R. Valeret objectio, si animæ istæ per suffragia nostra augmentum mercedis acciperent, aut si suffragia nostra ipsis applicarentur, non attento ipsarum merito; nam in hisce casibus vere acciperent mercedem juxta laborem alterius. Atvero neutrum hic obtinet locum : per hæc enim suffragia non accipiunt majorem in cœlo gloriam, sed unice juvantur in solvendis temporariis debitis; ac dein in hac re unice juvantur, quia per suam vitam mortalem id sibi meruerunt.

Obj. 2° Si Deus animarum istarum pœnas remitteret aut diminueret propter suffragia nostra, eo ipso sententiam, quam in particulari judicio tulit, mutaret; et ita fieret inconstans in consiliis suis; quod dici nequit. Ergo.

R. Cum Deus ipse legem statuerit, quod nempe animæ istæ per suffragia nostra juvari possint, liquet eum in sententia, quam fert contra animam in purgatorium mittendam, jam admittere quod hæc pœna postea per fidelium suffragia minui poterit. Ergo acceptando nostra suffragia, non fit in consiliis suis inconstans.

Obj. 3° Si admittat Deus hæc fidelium suffragia, destruitur legis divinæ sanctio. Audacter enim possunt homines veniale peccatum admittere, et pro pœnis peccatis suis debitis in hac vita non satisfacere, cum sperare possint se mox e purgatorio liberandos esse per fidelium suffragia, quæ certe ex fundationibus a se institutis magno in numero accepturi sint.

R. Valida esset objectio, si Deus in efficacia nostrorum suffragiorum determinanda, necnon in applicandis istis suffragiis, non attenderet ad sufficientem legis suæ sanctionem et ad justitiam in pœnæ retributione servandam. Verum longe abest, ut adversarii demonstrent Deum ita agere; ergo. Certum enim

contra est, Deum præ sapientia sua ita determinare nostrorum suffragiorum efficaciam, atque ita suffragia nostra accipere, ut in purgatorium descensus nullatenus sperni possit, sed e contra maxime maneat timendus.

V. Quæstiones subsidiariæ ad hanc materiam plenius exponendam.

Q. I. *Quibus modis possunt fideles purgatorii animas juvare?*

R. Certe id non possunt eis levamen merendo per *meritum de condigno* aut *de congruo infallibili,* quia ad hujusmodi meritum deest essentialis conditio, promissio nempe divina. Deus enim nunquam promisit pro mercede bonorum operum nostrorum purgatorii animis, ubi id intenderemus, levamen præstare. (Cfr. *de Gratia.* p. 168 et 185).

Verum id possunt : 1° *orando* seu *per impetrationem.* Nihil enim obstat, quominus fideles levamen istarum animarum a Deo postulent, et Deus ex liberalitate illud concedat.

2° *Satisfaciendo* seu applicando eis opera sua bona, quatenus *satisfactoria* sunt, h. e. quatenus reparant honorem Dei læsum et pœnam contra peccatum statutam luunt. Omnia autem opera bona sunt satisfactoria, quia utpote in Dei honorem facta necessarie reparant Dei honorem læsum, ac dein utpote pro voluntate nostra semper aliquatenus ardua etiam necessarie pœnas contra peccatum statutas luunt. — Quod hoc modo istas animas possumus juvare, ex eo liquet, quod nihil obstat quominus unus pro altero satisfaciat; ita Christus Dominus pro nobis omnibus satisfecit, et etiam in mundo haud raro videmus unum pro altero personæ offensæ satisfacere.

3° *Merendo,* seu faciendo bona opera ad obtinendum istarum animarum levamen ut mercedem; sed hoc meritum tantum esse potest *de congruo fallibili.* Quod autem tali merito has animas juvare possumus, ita demonstrari potest : meritum *de congruo* postulat mercedem non quidem ex justitia, sed ex decentia;

jamvero decet ut amicus impleat amici obsequiosi voluntatem, si res fieri possit; ac proinde in obsequio cuidam amico ad aliquid obtinendum præstito latet meritum de congruo. Sed nos, ubi gratia sanctificante ornamur, sumus Dei amici. Ergo.

Q. II. *Quibus operibus possumus animas purgatorii juvare?*

R. Id fieri potest iis omnibus operibus, quibus a Deo impetramus bona, ei satisfacimus, et subsidium de congruo alteri meremur. Jamvero 1° præcipue impetrare et satisfacere possumus *per Missæ sacrificium*; nam in eo ipse Christus secundum celebrantis intentionem impetrat, et satisfactiones suas in cruce præstitas applicat; ac proinde datur impetratio et satisfactio ex opere operato. Ergo *præcipue* has animas juvamus per *Missæ sacrificium.*

2° Possumus etiam per indulgentias a pœnis peccatorum nostrorum liberari : et sunt indulgentiæ, quæ ita sunt concessæ, ut animabus purgatorii applicari possint. Ergo has animas juvare quoque possumus per applicationem istarum indulgentiarum.

3° Impetrare, satisfacere et mereri possumus per *orationes aliaque quævis bona opera;* ac proinde et per hæc omnia opera istas animas juvare possumus. In oratione præcipuum est *impetratio;* sed simul habetur *satisfactio,* quatenus oratio est opus arduum; et *meritum,* quatenus est opus bonum et ideo mercede dignum. In aliis autem operibus bonis oratio minus eminet, sed tamen implicite continetur : nam per actum bonum in obsequium alterius factum optime impetrari ab illo quid potest. Satisfactio autem in operibus bonis eo major est, quo opus est magis arduum; et meritum in illis eo majus est, quo perfectius est opus.

Q. III. *An requiritur status gratiæ in nobis, ut possimus has animas per suffragia nostra juvare?*

R. 1° Status peccati mortalis in sacerdote celebrante non

impedit, quominus Missæ sacrificium animis purgatorii applicatum eis prosit, quia effectus in eo obtinetur non *ex opere* sacerdotis *operantis* sed *ex opere operato* a Christo.

2° Status peccati mortalis in sacerdote etiam non impedit, quominus orationes nomine Ecclesiæ in Missa pro Defunctis aut in exequiis ab ipso fusæ vere valeant, cum ipse legatus sit Ecclesiæ, et oratio proinde valorem suum ab Ecclesia, quæ semper est sancta, ut a principaliori agente obtineat.

3° Status peccati mortalis in orante etiam non videtur impedire effectum, modo orans agat nomine alterius justi qui hanc orationem ab eo fieri procuravit; nam in hoc casu ista oratio censetur esse opus procurantis.

4° Haud improbabile est eos, qui in peccato mortali vivunt, aliquid pro defunctis impetrare posse per orationes suas, cum nihil obstet a parte Dei, quominus has preces audiat. Attamen cum istæ orationes nullam dignitatem a parte petentium habeant, eis tribui nullatenus potest effectus certus.

5° Ad juvandas autem has animas per opera satisfactoria et meritoria nostra requiritur status gratiæ; nam sine ipso non possumus vere Deo satisfacere, neque etiam possumus pro alio aliquid mereri de congruo, cum hoc meritum pro alio omnino fundetur in Dei amicitia, uti vidimus.

6° An requiratur status gratiæ ad applicandam defunctis indulgentiam, extra casum quo status gratiæ conditio est indulgentiæ lucrandæ, disputatur. Sententia negans videtur probabilior. (Cfr. *Tract. de Indulg.*)

Q. IV. *An suffragia nostra iis defunctis, pro quibus fiunt, infallibiliter prosunt, et quidem secundum totum suum valorem?*

R. *a)* Verisimilius, iis solis exceptis quæ fiunt per meritum de congruo, prosunt infallibiliter iis pro quibus fiunt. Et ratio est, quod Deus certa lege, ut e fide constat, statuit pro animabus purgatorii suffragia nostra accipere propter Sanctorum com-

munionem; et nullum habetur motivum suspicandi, quod forsan ea acceptet pro una anima et non pro altera, cum omnes sint ejus amicæ et in communione sint Sanctorum. Nec dici potest hic obstare Dei justitiam, quæ exigit ut omnes non æqualiter juventur propter meritorum inæqualitatem; nam ut in hoc justitiæ satisfiat, sufficit ut Deus nostra suffragia in eo tantum gradu accipiat, qui singulorum meritis correspondeat.

b) At verisimilius non prosunt secundum totum suum valorem, sed unice secundum eam mensuram, quæ uniuscujusque animæ dispositioni correspondeat et ultra justum pœnam non minuat. Et ratio est, quod secus legis divinæ everteretur sanctio. Admisso enim infallibili suffragiorum secundum totum suum valorem effectu, sequeretur quod divites, sibi plurima procurando suffragia, facile se liberare possent e purgatorio, et nunc spe illa innixi libere peccata venialia committere, atque satisfactionem pro peccatis suis prorsus negligere : quod sane cum Dei sapientia et justitia pugnat. Si vero Deus tantum secundum merita uniuscujusque acceptet suffragia nostra, sanctio legis salva manet, omnesque excitantur ad veniale peccatum sedulo vitandum et peccata sua in hac vita expianda. — Oppositam quidem sententiam tenet Suarez cum aliis quibusdam, sed infirmis nixus argumentis : rationem autem quam pro nostra dedimus opinione non attingit.

Si nunc quæratur, nonne divites, qui multa suffragia sibi procurare possunt, melioris sint conditionis, quam pauperes, facile ex dictis responderi potest. — Cum a justa Dei voluntate pendeat, ut per suffragia major vel minor pœnæ remissio obtineatur, nullatenus sequitur illum, pro quo plura fiunt suffragia, semper plus juvari quam pauperem : potest nempe Deus majorem concedere pœnæ remissionem pauperi, qui unum tantum accepit suffragium, quam diviti, qui mille accepit. Nec dicatur pauperes quandoque omni suffragio carere; nam ab ortu solis usque ad occasum quotidie in Missa et in officio sacro oratur pro omnibus

fidelibus defunctis. Notari etiam potest, quod Deus forte applicat pauperibus omnia illa suffragia, quæ fiunt pro damnatis et pro beatis; necnon quod pauperes ob miserias, quas patiuntur in mundo, longe majus meritum quam divites acquirere possunt; et hæc melior conditio ad in hac vita merendum certe jam per se solam compensaret pejorem in purgatorio conditionem, si existeret.

Q. V. *An opera defunctis applicata fidelibus ea facientibus adhuc prosunt?*

R. 1° Omne opus pro defunctis ab homine gratia ornato peractum meretur ipsi de condigno augmentum gratiæ sanctificantis et gloriæ cœlestis : id enim est proprium omni operi bono in statu gratiæ facto; et hoc meritum de condigno est omnino personale, seu in alium transferri non potest. Quo majus autem est opus pro defunctis oblatum, eo majus quoque est meritum nostrum.

2° Verum hoc opus pro defunctis factum facienti non valet directe sub ratione satisfactionis; quia operans hunc valorem applicavit defunctis, et eadem satisfactio non sufficit ad duo debita solvenda. Diximus : *directe non valet;* quia videtur nos per hanc suffragiorum applicationem, quæ eximius est charitatis actus, de congruo mereri, ut Deus aliquid de pœnis nostris temporariis remittat.

Inde liquet quod pii illi fideles, qui faciunt istud votum heroicum, ab Ecclesia approbatum, omnia bona sua opera pro defunctis offerendi, hac oblatione revera valorem satisfactorium omnium bonorum suorum operum amittunt; verum per singulas satisfactiones defunctis applicatas summopere merentur de condigno augmentum gratiæ et gloriæ, et de congruo remissionem temporalium pœnarum suarum. Præterea sperare etiam licet, quod Deus istis fidelibus post mortem permagno in gradu suffragia fidelium applicabit in summæ ipsarum erga defunctos charitatis mercedem.

Q. VI. *An verum est, quod animæ purgatorii maxime juvantur per restitutionem ab herede factam, aut per legati solutionem?*

R. Negative; hæc istis animabus non prosunt nisi fiant ex intentione eas per hoc bonum opus juvandi; et in isto casu haud majorem habent valorem, quam cætera opera bona. Falso igitur fideles quandoque opinantur animas in purgatorio detineri, donec heres restitutionem fecerit, aut legatum solverit.

Q. VII. *An animæ purgatorii juvari etiam possunt per preces Angelorum et Sanctorum in cælo regnantium?*

R. Omnes concedunt, Angelos et Sanctos opera meritoria et satisfactoria perficere non posse, atque ideo nihil habere, unde animabus purgatorii subveniant aut per meritum aut per satisfactionem. Orare autem possunt; et idcirco inquirendum est, an per impetrationem eis prodesse possint. Alii *affirmative*, alii *negative* respondent. Qui affirmant, ista ratione nituntur, quod nempe nihil hic obstare videtur, et Ecclesia in Missa sic orat : « Ut eos, qui ex hoc sæculo transierunt, B. Maria semper Virgine » intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitu- » dinis consortium pervenire concedas. » Alii autem negant tum propter altum hac de re Scripturæ et Patrum silentium, tum etiam quia purgatorium necessario inde exhauriretur, siquidem Sancti et Angeli, ferventissimo amore moti, constanter Deum pro eis orarent. — Plena autem cum certitudine hæc quæstio solvi non potest, cum neutra sententia firmis nitatur argumentis. Ex oratione enim illa Ecclesiæ, quam prioris sententiæ defensores citant, nihil certi concludi potest, cum hæc possit intelligi de intercessione *indirecta*, qua nempe Sancti a Deo impetrant, ut suffragia nostra acceptet, nosque ad suffragia offerenda disponat. Alii nituntur inprimis alto Scripturæ et Patrum silentio; verum non habetur plenum hac de re in traditione silentium, uti patet ex oratione mox citata. Alterum autem argumentum, quod afferunt, non est solidum : si enim Deus orationes civium cœlestium

in juvamen animarum istarum accipiat, certe novit eas in tali tantum accipere mensura, quæ legis divinæ sanctionem non destruat, et justitiæ ordinem non evertat; et Sancti etiam non postulabunt, ut animæ istæ levius puniantur, aut citius liberentur quam sapientia et justitia Dei id permittunt. — Interim de hac quæstione duo certe constant : 1° Si accipiantur a Deo in levamen animarum purgatorii orationes cœlestium civium, certe tantum accipiuntur in gradu sapientiæ et justitiæ divinæ congruenti; 2° Indubie possunt Angeli et Sancti *indirecte* has animas modo supra indicato juvare.

VI. Nota. Conc. Tridentinum Sess. XXV, monuit, ut in concionibus ad plebem nihil dicatur de subtilioribus circa purgatorium quæstionibus, quæ ad pietatem non conferunt; et sedulo secludantur quæ incerta sunt aut falsi specie laborant, eaque omnia quæ ad curiositatem aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt.

CAPUT SEXTUM

De Cœlo

Prænotanda. Sedes, in qua animæ omnino puræ et justæ mercedem a Deo accipiunt, vocatur *cœlum*. Quod autem Deus animas plene justas post hanc vitam remunerat, seu quod cœlum vere existit, in speciali quæstione non exponemus, cum argumenta, quæ cœli naturam declarabunt, certe etiam ejus existentiam demonstrant, ac præterea rationes theologicæ, quibus supra inferni existentiam probavimus (pag. 32), etiam pro cœli veritate militant. Unice igitur agemus de cœli natura seu *quidditate*; et eam in lucem conabimur proferre sequentia investigando : 1° In quo essentialiter consistat merces cœlestis; 2° An et qualis detur in cœlo merces accidentalis; 3° An essentialis

cœli merces sit æqualis in omnibus Sanctis; 4° An cœli merces sit æterna; 5° Qualis sit Sanctorum in cœlo status quoad actus suos.

§ I.

Q. Quid est essentialiter merces cœlestis?

R. *Est perfecta beatitudo fluens ex immunitate ab omni malo, et possessione summorum bonorum desiderii Sanctorum plenissime satiativorum, quorum fundamentum est intuitiva, immediata et clara divinæ essentiæ visio.*

—

I. **Explicatio.** *a*) Cum dicatur mercedem cœli esse perfectam beatitudinem, explicandum est, *quid sit beatitudo*. Nomen *beatitudinis* proprie significat *statum in quo possidetur bonum appetitus nostri adæquate satiativum*. Ubi enim quis habet, quod desiderat, est beatus. Ex hac autem definitione liquet in beatitudine sequentia distingui posse : 1° Objectum seu res, cujus possessione sumus beati; 2° istius rei possessio; et 3° quies appetitus seu fruitio, quæ in nobis ex ista possessione oritur. Istud objectum dicitur *beatitudo objectiva*, possessio autem hujus objecti et fruitio inde nascens dicuntur *beatitudo subjectiva*.

Beatitudo solet distingui : 1° in *essentialem* et *accidentalem*. *Essentialis* beatitudo ea complectitur bona, quæ, seclusis aliis quibusvis, nos *simpliciter* faciunt beatos; *accidentalis* autem ista tantum continet bona, quæ beatitudinem jam existentem complent. — 2° in *naturalem* et *supernaturalem*.

Naturalis beatitudo complectitur ista bona, quæ possumus ratione sibi relicta cognoscere, secundum naturalem rationem appetere, et sine supernaturali subsidio assequi; uti v. g. esset vita immortalis et in bono stabilis, quæ ab omni dolore et afflictione esset immunis, sed in qua tamen Deus non videretur facie ad faciem. *Supernaturalis* autem beatitudo talia complectitur bona, quæ nonnisi revelatione edocti cognoscere et appetere, et

nonnisi supernaturaliter adjuti assequi possumus, uti v. g. est visio beatifica.

b) Ex data definitione facile intelligitur necessario haberi perfectam in cœlo beatitudinem, si, uti asserimus, in eo nullum existit malum, et summa possidentur bona, quæ appetitus nostri plene sunt satiativa.

c) Dicitur fundamentum istorum bonorum esse *visionem intuitivam, immediatam et claram divinæ essentiæ.*

Vox *visio* non exprimit in hac sententia actum videndi per oculos, sed actum videndi per intellectum seu cognitionem. Deus enim, utpote spiritus, sensu corporali apprehendi nullatenus potest, ac præterea corporalem visum non habent neque anima separata, neque angelus, qui tamen Deum videre dicuntur. Unice igitur videri potest Deus, etiam post carnis resurrectionem, per actum intellectus.

Hæc visio dicitur *intuitiva.* Intuitivus autem mentis conceptus ille est quo objectum percipitur ut actu præsens, h. e. physice et realiter existens et ut tale apprehensum; sicuti indicat ipsa vox *intuitivus.* Id enim solum oculo intueri dicimur, quod actu est nobis præsens, seu quod physice et realiter existit, et ut tale apprehenditur. Arbor, quæ actu nobis est præsens, h. e. quæ physice et realiter existit et ut talis oculo nostro apprehenditur, dicitur a nobis videri, sub intuitione nostra esse; ac simili modo objectum intuitiva visione ab intellectu percipietur, ubi nobis actu est præsens et ut tale apprehenditur. — Inde notitia rei, quam antea vidimus; notitia alicujus naturæ in universum consideratæ, v. g. naturæ humanæ, naturæ plantarum; notitia alicujus personæ ex operibus ejus tantum notæ, uti v. g. notitia quam de Bossuetio, Cicerone aut Platone ex ipsorum operibus habemus; notitia per alterius testimonium obtenta; non possunt dici intuitivæ visiones mentis. Ipsæ autem vocantur notitiæ *abstractivæ*, utpote operatione intellectus a conceptu intuitivo desumptæ seu abstractæ (afgetrokken).

Notetur nos in hac vita non habere de Deo cognitionem intuitivam, sed abstractam tantum; non enim eum videmus nobis præsentem, uti homines, plantas, aliasque res nobis præsentes videmus; sed unice eum cognoscimus ex ipsius operibus, quæ intuitive videmus, et ex revelatione quam de seipso in veteri et in novo testamento fecit. Præterea hæc cognitio abstracta, quam de Deo ex creaturarum contemplatione, et ex revelatione habemus non est *adæquata*, seu Deum nobis non exhibet ut in se est, sed *analogica* tantum, h. e. imaginem tantum valde imperfectam Dei ministrat. Et ratio est quod Dei cognitio ratiocinio obtenta desumitur ex intuitione operum, quæ, utpote finita, non perfecte sed analogice tantum repræsentant attributa divina, quæ sunt infinita; ac proinde necessario non potest esse adæquata. Aliter res se habet, ubi agitur de cognoscendo homine ex operibus ejus. Scripta ejus v. g. perfecte adæquare possunt mensuram ejus ingenii; et ideo ex istis scriptis adæquatam obtinere possumus de illo cognitionem. Dein quod ad cognitionem Dei ex revelatione haustam attinet, etiam illa nobis Deum non exhibet adæquate, sed analogice tantum. Etenim revelatio nobis non infundit ideas novas, sed ope idearum imperfectarum, quas ex contemplatione mundi de Deo habemus, nobis manifestat abscondita Dei quoad existentiæ veritatem, sed non ostendit quomodo hæc sint. — Ideæ imperfectæ seu analogicæ, quas de Deo in hac vita habemus, ita describi possunt : attribuimus nempe Deo perfectiones quas in mundo videmus, v. g. sapientiam, sanctitatem; sed negamus has perfectiones in Deo esse cum imperfectione ista quacum sunt in creaturis, et insuper asserimus eas in Deo esse cum perfectione infinita. In quo autem consistat hæc perfectio seu quid sit, et quomodo sit, non intelligimus; et ita ideæ nostræ de Deo non sunt adæquatæ, sed analogicæ tantum, h. e. Deum nobis tantum exhibent ope comparationis ex creaturis desumptæ.

Visio Dei in cœlo dicitur etiam *immediata*. Hac autem voce

exprimitur, quod Deus in cœlo non videtur mediante imagine etiam perfectissima ipsum repræsentante, sed directe et in se. Dicitur enim aliquid oculo videri mediate, quando ope statuæ, vel picturæ conspicitur; immediate vero, quando directe in se conspicitur sine ullo intermedio. In terris Deum immediate non videmus, sed mediate tantum ope creaturarum, quæ perfectionum ejus imagines sunt, sed inadæquatæ.

Visio Dei in cœlo tandem dicitur *clara;* qua voce exprimitur, in cœlo Dei essentiam, sicuti in se est, seu non tantum secundum quod non est, sed etiam secundum quod est, plene intelligi. Clara enim habetur alicujus rei notitia, quando essentialia ejus elementa sunt nota secundum quod vere sunt; secus habetur tantum notitia obscura. In hac autem vita claram de Deo ideam non habemus, cum tantum cognoscamus quid attributa divina non sint, non vero quid sint : novimus nempe in Deo dari hypostases, sapientiam, sanctitatem, justitiam etc. quæ utpote infinite perfecta non sunt sicuti hypostasis creata, sapientia creata, etc.; sed quid hypostases, sapientia, sanctitas divinæ in se sint, nescimus.

II. Gradus certitudinis. Quæ de cœli essentiali beatitudine diximus, sunt *de fide.* Bened. XII enim in Const. *Benedictus Deus* dicit : « Sancti vident divinam essentiam visione intuitiva » et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi » se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et » aperte eis ostendente, et sic videntes eadem divina essentia » perfruuntur, necnon ex tali visione et fruitione eorum animæ » sunt vere beatæ et habent vitam et requiem æternam. »

III. Errores. Deum in cœlo intuitive et immediate a Sanctis videri negarunt Palamitæ. Moderna autem ætate id negant illi omnes, qui revelationem divinam rejiciunt.

IV. Demonstratur Sanctos in cœlo ab omni malo esse immunes : 1° *e S. Scriptura.* Alia mala non habentur, ac malum physicum, dolor ex bono deperdito, et malum morale seu pecca-

tum. S. Joannes autem clare docet in cœlo non esse ullum malum physicum, aut ullum dolorem, ubi dicit in Apoc. VII, 16 : « *Neque esurient, neque sitient amplius, neque cadet super* » *illos sol, neque ullus æstus;* » et XXI, 4, 5 : « *Absterget* » *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra* » *non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit* » *ultra, quia prima* (h. e. mala quævis vitæ mundanæ) *abie-* » *runt. Et dixit, qui sedebat in throno : Ecce nova facio* » *omnia* (h. e. mala vitæ mundanæ delevi, et nunc omnia in- » novo). » — Nullum etiam malum morale in cœlo haberi, docemur a S. Petro, qui in I Epist. sua, I. 4 cœlum vocat *hæreditatem incontaminatam*, h. e. ab omni labe vel macula immunem.

2° *e Traditione*. S. Patres passim contestantur, Sanctorum statum ab omni malo esse immunem. Dicit S. Ephrem *Lib. de Compunct.* c. 8 : « Plorate, fratres, in conspectu Domini, ut » gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, ubi » fugatur dolor, tristitia et gemitus; ubi nec lacrymis aliquis, » nec pœnitentia indiget; ubi non est timor et tremor; ubi non » est mors et corruptio; ubi non est adversarius, et impugnator; » ubi non exacerbatio inobedientiæ et ira contentionis; ubi non » est odium et inimicitia, sed omnino gaudium, et lætitia et » exultatio, et mensa spiritualibus cibis plena, quam præparavit » Deus cunctis diligentibus se. » S. Aug. pariter scribit *serm.* 2 : « Facilius possumus dicere in illa vita æterna, quid non sit ibi, » quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non » est ibi lassitudo, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla » corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. » Ecce diximus, quid ibi non sit : quid autem ibi sit, vultis » nosse? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor » hominis ascendit. »

3° *e ratione theologica et simul philosophica*. Deus, cum sit infinite bonus, non potest hominem absolute ad mala subeunda

destinare, sed unice propter peccatum pœnam infligere potest. Atqui cœli cives sunt ab omni sorde peccati immunes; ergo nullum malum potest eis a Deo infligi.

V. Demonstratur Sanctos bonis frui appetitus ipsorum plene satiativis.

1° *e S. Scriptura.* Cœlum in Scriptura talibus nominibus insignitur, et sub talibus proponitur figuris, quæ clare manifestant, perfectam in eo haberi felicitatem. Vocatur enim *regnum cœlorum, regnum Dei, regnum Christi;* jamvero sub imagine regni summa dignitas, summa majestas, summa jucunditas proponi solet. Nec dicatur Sanctos in cœlo tantum cives esse, ac proinde gaudii et gloriæ regis haud esse participes; nam S. Joannes Apoc. XXII, 5 docet singulos electos regis gloriam et gaudium possidere, de eis dicens : *regnabunt in sæcula sæculorum.*

Dein Christus Apostolos ad persecutiones patienter tolerandas adhortans dixit, Matth. V. 12 : « *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* » S. Paulus docuit Rom. VIII, 18, omnes vitæ hujus miserias et afflictiones nullius esse ponderis, si comparantur cum pondere gloriæ cœlestis : « *Existimo,* ait, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* » Imo Isaias LXIV, 4, et ex eo S. Paulus I. Cor. II, 9, dicunt : « *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum;* » quibus verbis exprimitur hominem neque per sensus suos corporales, (per oculum vel per aurem), neque per intellectum (per cor) obtinere posse ideam adæquatam bonorum cœlestium, ac proinde hæc bona superiora esse iis omnibus, quæ homo naturaliter cognoscere et appetere potest.

2° *e Traditione.* S. Chrys. *Hom.* 23, *in Hebr.* hæc habet : « Quæ dicendi facultas, quæ intelligentia poterit explicare illam » beatitudinem, et virtutem illam, voluptatem, gloriam, læti-

» tiam, splendorem, *Quæ oculus non vidit,* inquit, *quæ auris* » *non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præpa-* » *ravit Deus iis qui diligunt ipsum* : non dixit solum exsupe- » rare, sed nec ullum unquam intellexisse, quæ Deus paravit iis, » qui ipsum diligunt. Cujusmodi enim bona consentaneum est, esse » ea, quæ Deus præparat et instruit? Si enim, cum nos fecisset, » statim nulla re adhuc a nobis peracta, tanta est largitus, para- » disum, cum ipso collocutionem, immortalitatem est pollicitus, » vitam beatam et a curis liberam : iis, qui tam multa fecerunt, » qui adeo strenue decertarunt, et pro ipso sustinuerunt, quid » non donabit? Unigenito pro nobis non pepercit, germanum, » ac proprium filium propter nos ad mortem dedit : si nos, cum » inimici essemus, talibus dignatus est bonis, quonam nos non » dignabitur, qui facti sumus amici? »

3° *e ratione theologica et simul philosophica.* Sancti in cœlo cum omni peccato sint immunes, nihil certe appetere possunt, quod non sit æquum et justum; ac proinde si bona quæ obtinent, appetitum ipsorum plene non satiarent, maneret in eis aliquod desiderium æquum et justum, quod Deus non impleret. Atvero Deus, utpote infinite justus et sanctus, rectum ordinem evertere non potest, ac negare quod æquum et justum est. Ergo fieri non potest, ut Sancti in cœlo ea omnia non obtineant bona, quæ plene ipsorum appetitum satient.

VI. Demonstratur divinam essentiam intuitive, immediate et clare in cœlo videri; et hanc visionem causam esse perfectissimæ beatitudinis :

1° *e S. Scriptura.* Deum in cœlo intuitive, immediate et clare videri, expresse docetur a S. Paulo I Cor. XIII, 12 dicente : « *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc* » *autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem* » *cognoscam sicut et cognitus sum.* » In hoc textu Paulus comparat cognitionem, quam de Deo in cœlo habebimus, cum omni cognitione, quam de Deo habemus in terris; non solum

nempe cum scientia de Deo ex ratione obtenta, sed etiam cum illa, quæ ex fide est hausta, nam dicit v. 2 : « *Si habuero* » *omnem prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem* » *scientiam, et si habuero omnem fidem* » : et affirmat cognitionem Dei cœlestem esse cognitionem *facie ad faciem, in qua Deus cognoscitur sicut et cogniti sumus;* cognitionem autem Dei in terris, etiamsi ex fide sit hausta, esse tantum cognitionem *per speculum, in ænigmate, ex parte.* Jamvero cognitio illa cœlestis a Paulo descripta est cognitio Dei intuitiva, immediata et clara, dum cognitio nostra terrena juxta ejus descriptionem est mediata, abstracta et obscura. Et re quidem vera visio *facie ad faciem* certe significat intuitivam, immediatam et claram personæ cognitionem in seipsa, et excludit cognitionem per imaginem, aut per ratiocinium, aut per testimonium, necnon cognitionem tantum obscuram. Pariter *cognoscere Deum, sicut et cogniti a Deo sumus,* indicat certe cognitionem intuitivam, immediatam et claram, quia Deus, utpote infinite perfectus et omniscius, aliam scientiam habere non potest. — Cognitio autem *per speculum* (cogita speculum antiquorum ex metallo confectum et longe minus perfectum ac moderna specula), non est cognitio intuitiva et immediata, sed abstracta et mediata, ope nimirum imaginis speculi obtenta. Dein cognitio *in ænigmate,* etiam non est cognitio intuitiva et immediata sed abstracta et mediata, ope scilicet ratiocinii ex aliunde notis principiis deducta. Tandem cognitio *ex parte* non est clara essentiæ cognitio, sed obscura. Hæc enim locutio non significat, ut quis suspicari posset, tantum partem elementorum essentialium rei cognosci, nam tunc non haberetur vera rei cognitio; exprimit autem essentialia rei elementa non cognosci secundum quod in se sunt, sed tantum secundum quod non sunt. Ut enim alicujus rei essentiam plene cognoscamus, scire debemus, quid hæc res sit, et quid non sit : unde si cognoscamus tantum quid res non sit, solummodo eam cognoscimus *ex parte.* — Liquet igitur, iis omnibus attentis,

S. Paulum docere in hoc mundo visionem Dei intuitivam, immediatam et claram non obtineri, sed eam esse sortem Sanctorum in cœlo.

Hæc veritas etiam aperte docetur a S. Joanne, I Epist. III, 2, dicente : « *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid* » *erimus. Scimus quoniam, quum apparuerit, similes ei* » *erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* » quorum verborum sensus est : nunc in hac vita mortali jam sumus vere filii Dei (per gratiam nempe sanctificantem), sed quid, ut filii Dei, in altera vita futuri simus in honore, beatitudine et dignitate, nondum plene cognoscimus seu nondum intuemur. Verum novimus ex fide, quod, quando apparuerit id quod futuri sumus, seu status ille beatitudinis et honoris, similes Deo erimus, quia nimirum, quemadmodum ipse se videt sicuti est, et nos eum videbimus sicuti est. Affirmatur igitur a S. Joanne Sanctos Deum, sicuti est, in cœlo visuros eo modo quo ipse Deus se videt sicuti est. Jamvero Deus certe essentiam suam videt intuitive, immediate et clare. Ergo. — Præterea ipsa locutio *videre sicuti est* de se excludit omnem cognitionem quæ non est intuitiva, immediata et clara; nam rei notitia per imaginem aut per ratiocinium obtenta, vel obscura tantum, constituit visionem rei non *sicuti est*, sed *sicuti apparet in alio*, et *sicuti non est*.

Intuitivam autem Dei visionem esse beatitudinis cœlestis fundamentum seu præcipuum objectum, etiam clare docet S. Scriptura. Etenim Matth. V, 8, legitur : « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* » Jamvero in his verbis declaratur beatos esse illos, qui mundum cor habent, quoniam summum bonum beatificum obtenturi sunt; et hoc bonum beatificum dicitur esse Dei visio. Ergo. — Idem liquet e textu S. Joannis mox citati, in quo docet nos in cœlo similes fore Deo, quia ipsum videbimus sicuti est; jamvero indubie maxima habetur beatitudo in summa illa cum Deo, ente infinite perfecto

et beato, similitudine; quia homo eo certe beatior est, quo est perfectior; ergo.

2° *e Traditione.* Innumera hac de re sunt testimonia Patrum : pauca indicabimus. S. Irænæus (L. IV, c. 20) de æterna vita dicit : « Quæ unicuique evenit ex eo quod videat » Deum; quemadmodum enim videntes lumen intra lumen » sunt, et claritatem ejus percipiunt, sic et qui vident Deum » intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem, et vivificat » autem eos claritas; percipiunt ergo vitam, qui vident Deum. » — S. Cyr. Alex. (*Lib.* 3 *cont. Jul.* n. 83) : « Nihil vera Dei » contemplatione est pretiosius; quandoquidem nos summæ » beatitudinis hæc facit participes »; et postea : « Hominum fe- » licitas est, habere summam contemplationem. » — S. Aug. (*De Trin.* L. I, c. 13) : « Illa visio Dei, qua contemplabimur incommu- » tabilem atque humanis oculis invisibilem substantiam, quæ so- » lis Sanctis promittitur... sola est summum bonum nostrum, cu- » jus adipiscendi causa præcipimur agere quidquid recte agimus. »

3° *e ratione theologica.* Deum in cœlo immediate, intuitive et clare videri, optime colligitur ex conditione nostra in statu viæ seu in hac vita. — Bona enim status termini debent complementum esse bonorum status viæ, seu plenitudo bonorum, quæ in statu viæ ex parte jam possidentur; nam status viæ, uti ex ipsa voce patet, est status imperfectus, in quo homo, per viam rectam incedendo, pervenire debet ad bonorum suorum perfectionem seu plenitudinem. Jamvero in supernaturali ordine, in quo ex bonitate Dei constituti sumus, et qui consistit in participatione supernaturali intellectualis vitæ Dei (in participatione nimirum istius cognitionis veri et amoris boni, quæ ad solam naturam divinam per se pertinent), status viæ secum fert partialem participationem istorum bonorum. Fide enim multa de Deo cognoscimus, quæ a nullo intellectu finito attingi possunt, et Deum fide notum colimus et amamus per actus ex supernaturalibus virtutibus et ex actuali Dei gratia productos.

Sed ista Dei per fidem cognitio, isteque Dei fide cogniti amor, sunt tantum partialis participatio intellectualis vitæ Dei; nam fide novimus quidem esse hoc vel illud mysterium, sed de mysteriorum essentia unice ex fide docemur quid hæc mysteria non sint, non vero quid sint. Ergo si cœlum debet esse complementum nostri status viæ, liquet in eo illud obtinendum esse quod in hac vita plenæ participationi supernaturali intellectualis vitæ Dei deest, cognitionem nempe essentiæ mysteriorum quæ credimus. Sed hæc cognitio postulat essentiæ divinæ visionem, cum ipsa sit fere omnium mysteriorum fidei nostræ fundamentum; ac proinde concludere debemus in cœlo Dei essentiam in se videndam esse.

Quod autem hæc visio Dei fundamentum est beatitudinis cœlestis, clare liquet. Consistit enim in participatione supernaturali intellectualis vitæ Dei, ac proinde istorum actuum, quibus Deus infinite est beatus. Jamvero supernaturalis participatio ipsius infinitæ beatitudinis, quæ ad Deum proprie pertinet, certe superat omnem beatitudinem aliunde fluentem. Ergo.

VII. Quæstiones ad declarandum gradum intensitatis visionis beatificæ.

Q. I. *An Sancti per visionem beatificam vident Deum eadem cum perfectione ac ipse Deus se cognoscit, seu an comprehendunt, uti dicitur, Deum?*

R. Uti constat ex *Tract. de Deo,* non possunt cognoscere Deum cum illa perfectione, quacum Deus se cognoscit, seu non possunt divinam essentiam comprehendere, ita ut sub omni ratione, qua cognoscibilis est, eam cognoscant. Et ratio est, quod Deus est infinitus, ac proinde infinite cognoscibilis : unde ad Eum totaliter comprehendendum requiritur actus infinitus. Sed actus infinitus non potest esse in creatura; ergo. — Quando igitur Sancti vocantur *comprehensores,* hæc vox significat eos non quidem Deum plene comprehendere, sed possidere intuitivam Dei visionem justis promissam. — Ex hoc

responso etiam liquet textus illos, in quibus S. Paulus et S. Joannes dicunt, Sanctos Deum cognoscere sicuti ipsi a Deo cogniti sunt, et per visionem divinæ essentiæ Deo similes esse, non intelligi posse de similitudine perfectissima, cum hæc sit impossibilis, sed de tali tantum, quæ visionem intuitivam, soli Deo per se propriam, secum ferat.

Q. II. *Quam certum id est?*

R. *De fide* est Deum plene comprehendi non posse, uti constat ex Later. IV et ex conc. Vatic. sess. 3. c. 1. — Sæc. IV Eunomiani hæretici docuerunt de Deo haberi posse ideam plene comprehensivam; sed maxime ab Ecclesia ejusque Patribus et doctoribus impugnati fuerunt.

VIII. Quæstiones ad declarandum objectum visionis beatificæ.

Q. I. *Quid per visionem beatificam cognoscunt Sancti de Deo?*

R. Vident intuitive, immediate et clare, h. e. sine imagine, sine ratiocinio, sine alterius testimonio et sine obscuritate, Deum esse; et pari modo cognoscunt essentiam ejus, seu quid sit Deus; quid nempe et quomodo sint tres personæ divinæ, quid et quomodo sint omnia et singula Dei attributa, ejus aseitas, æternitas, sapientia, sanctitas, justitia, bonitas, etc. Etenim Deus non videretur sicuti est, si ea omnia, quæ essentiam ejus constituunt, non conspicerentur; et, præterea Deus, qui simplicissimus est, videri non potest, quin totus uti est conspiciatur. — *Totam* igitur essentiam Dei clare vident Sancti, ita ut nullum essentiale attributum in Deo sit, quod non cognoscant; verum hanc essentiam non vident *totaliter*, h. e. in summo gradu, in quo cognosci potest; uti sequitur ex dictis de incomprehensibilitate Dei. — Nec quis dicat : si Deus intuitive videtur, debet necessario totaliter videri, quia est omnino simplex; nam perfectio intuitivæ visionis essentialiter est dependens a perfectione facultatis, qua videmus. Ita inter plures homines arborem sibi

præsentem conspicientes, unus alio perfectius eam videbit, secundum mensuram nempe perfectionis, quæ in oculis uniuscujusque habetur. Ergo in cœlo divina essentia a Sanctis summo in gradu non videbitur, cum eorum facultas videndi, utpote finita, summum non habeat perfectionis gradum; videbitur autem summo in gradu a Deo, cum ejus potentia videndi sit infinita.

Q. II. *An Sancti per visionem beatificam nihil præter Deum vident?*

Affirmative; vident etiam creaturas ope visionis Dei. Etenim Deus est typus omnium entium existentium et possibilium; est etiam creator, dominus et gubernator omnium rerum quæ sunt; et insuper novit omnia præsentia, præterita et futura. Jamvero Deus secundum totam suam essentiam videtur a Sanctis, et proinde etiam secundum hæc sua attributa. Sed hæc attributa clare cognosci non possunt, nisi creaturæ cognoscantur; nam ad Deum cognoscendum ut typum omnium, ut creatorem, dominum et gubernatorem mundi, ut omniscium, cognosci necessarie debent res, quarum est typus, quas creavit, possidet et gubernat et quas novit. Ergo.— Verum cum Sancti totaliter Deum non cognoscant, neque totaliter cognoscunt creaturas, quæ ex Ipso cognoscibiles sunt; ac proinde non cognoscunt omnia possibilia, neque totaliter cognoscunt omnia quæ Deus creavit, conservat et regit, neque totaliter cognoscunt omnia præterita, præsentia et futura. Quoad cognitionem præteritorum, præsentium et futurorum, quædam certe Sanctis a Deo præ sapientia ejus abscondita sunt, uti v. g. cogitationes internæ hominum, quæ secundum Scripturam a Deo solo cognosci, et ante ultimum judicium palam non esse manifestandæ videntur; necnon uti dies judicii, quæ secundum Scripturam soli Deo est nota. Quousque autem eorum de creaturis cognitio sese extendat, exacte definiri nequit; sed certe tamen constat eam indefinite superare omnem scientiam, quam homo de eis in hoc mundo acquirere potest, uti patet ex medio, quo eam obtinent, necnon ex plenitudine beatitudinis,

qua Deus ipsos remunerare vult. « Quid est, quod ibi nesciant, » ait S. Greg. M. L. 4. *Dial.* c. 33, ubi scientem omnia sciunt; » et S. Bernardus *Serm. de trip. genere bonorum*, n. 7, exclamat : « O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cœlo et quæ in » terra sunt, perfectissime cognoscemus, in quo fonte sapientiæ » rerum omnium cognitionem bibentes. » — Inde communiter docetur Sanctos cognoscere : 1° rerum omnium, quæ sunt in cœlo et in terra, genera et species et essentias earum, ac consequenter omnes choros Angelorum et ordines; item præcipuas saltem mundi res in particulari; 2° Sese invicem, suosque parentes et amicos in cœlo regnantes; 3° plurima eorum, quæ in terris contingunt, et præcipue ea, quæ ad illos ratione familiæ vel amicitiæ vel officii vel dignitatis, vel alterius tituli spectant; 4° preces, quas viventes ad ipsos dirigunt; nam maxime ipsorum interest eos cognoscere a quibus in terris coluntur et invocantur, et communio Sanctorum hanc cognitionem omnino exigit; 5° omnia et singula fidei puncta, quæ in mundo crediderunt.

IX. Quæstiones ad declarandum modum, quo visio intuitiva Dei a Sanctis habetur.

Q. I. *An homo potest ex naturæ suæ viribus Deum intuitive videre?*

R. Tanta est hujus visionis præstantia, ut neque homo, neque etiam ulla natura finita quantumvis perfecta eam ex suis viribus obtinere possit. Prior pars, de homine agens, *de fide* est; uti constat e conc. Viennensi, in cujus actis hæc leguntur : « *Nos » (Clemens V) S. approbante concilio, sectam ipsam (Beguar- » dorum et Beguinarum) cum præmissis erroribus de lu- » mine gloriæ damnamus et reprobamus.* » Hi autem errores de lumine gloriæ continentur in eorum prop. 5 : « *Quælibet in- » tellectualis natura in seipsa est naturaliter beata, et anima » non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum vi- » dendum et eo beate fruendum.* » — Altera autem pars non est de fide, utpote ab Ecclesia non definita neque clare in fidei

fontibus contenta, neque etiam theologice certa est, cum aliqui theologi oppositam teneant sententiam. *Certa* tamen est, utpote ab auctoribus communiter recepta, et iisdem ac prior pars nixa argumentis theologicis.

Demonstratur e S. Scriptura : a) Visio beatifica in Scripturis expresse vocatur *hereditas filiis Dei adoptivis propria;* legitur enim Rom. VIII, 17 : « *Si filii et heredes.* » Jamvero adoptio in filios Dei certe omnem naturam finitam superat. Ergo et hæc visio. — *b)* Juxta Scripturæ doctrinam per visionem beatificam reddimur intime *familiares et domestici Dei* (h. e. membra familiæ seu domus Dei), Eph. II, 19; *consortes* regni atque throni Christi ejusque *coheredes;* participes ejus bonorum et beatitudinis; *accipiam vos,* ait Christus Joan. XIV. 3, *ad meipsum, ut ubi ego sum et vos sitis;* et Matth. XXV, 21 : *Intra in gaudium Domini tui.* Sed ejusmodi sors, quæ ad solum naturalem Dei filium per se pertinet, nequit censeri naturæ, quæ Dei est serva, debita. Debetur quidem servo merces, sed non debentur bona *paterna,* bona *filio propria, intima* cum patrefamilias familiaritas. Jamvero quævis natura finita est serva respectu ad Deum. Ergo.— *c)* Tandem Scriptura expresse dicit divinam essentiam a solo Deo proprie cognosci posse. « *Nemo,* ait » Christus Matth. XI, 27, *novit Filium nisi Pater, neque Pa-* » *trem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* »

Demonstratur e Traditione. S. Irenæus L. IV, c. 20 hæc habet : « Homo a se non videt Deum. Ille (Deus) autem volens » videtur ab hominibus, quibus vult, et quando vult et quemad- » modum vult : potens enim est in omnibus Deus; vivus quidem » tunc (in V. T.) per spiritum prophetiæ, vivus autem et per » Filium incarnatum, videbitur autem in regno cœlorum,..... » Patre incorruptelam donante in vitam æternam, quæ evenit » unicuique ex eo quod videat Deum. »

Demonstratur e ratione theologica et simul philosophica. Cognitio quævis efficitur per intellectualem imaginem rei co-

gnitæ, quam intellectus cognoscens in se producit, et in qua quasi legit sibique explicat, quidquid ad hujus rei naturam spectat; ac proinde perfectio cujusvis cognitionis a perfectione imaginis rei cognitæ, quam intellectus in se exprimit, est dependens. Perfectio autem hujus imaginis dependet a perfectione intellectus, a quo producitur; nam fieri non potest ut effectus sua causa sit perfectior. — Jamvero intellectus vel hominis vel cujuslibet entis finiti, quantumvis perfecti, est necessarie finitus; ac proinde nonnisi finitam rei cognoscendæ imaginem producere potest. Deus autem est infinitus; et infinitum certe per imaginem finitam adæquate repræsentari non potest. — Ergo concludendum est, hominem aut quodcumque aliud ens finitum, quantumvis perfectum, Deum adæquate seu uti in se est cognoscere non posse ex naturalibus suis viribus, siquidem istæ insufficientes sunt ad exprimendam talem imaginem, quæ adæquate Dei essentiam exhiberet.

Q. II. *Si neque homo neque ullum ens finitum potest ex suis viribus Deum uti in se est videre; nonne inde sequitur intuitivam Dei in cœlo visionem esse impossibilem, cum Sancti in cœlo maneant entia finita?*

R. Ex demonstratione supra data, sequitur quidem omnino fieri non posse, ut Sancti ex naturæ suæ facultatibus Deum facie ad faciem videant; verum nullatenus inde fluit, eos hanc visionem obtinere non posse, supposito dono substantialiter supernaturali eis superaddito. Jamvero doctrina catholica tale donum eis superaddi docet; ergo. — Etenim hujusmodi donum talem confert virtutem seu facultatem, quæ non ex aliqua substantia finita, quantumvis perfecta, sed ex Deo oriatur et ex ipso solo oriri possit. Ubi enim quis cum supernaturali Dei auxilio operatur, non agit ex solis substantiæ suæ finitæ viribus, universali tantum Dei concursu adjutus; sed Deus speciali modo vere operatur cum ipso, et tale opus cum ipso ponit, quale nullum ens finitum ex suis viribus ponere possit. — Inde autem

facile intelligitur, intuitivam visionem in cœlo nullatenus impossibilem videri. Si enim Deus supernaturali modo operatur in Sanctis, sane intuitiva hæc visio obtineri ab eis potest, cum intellectus divinus, utpote infinitus, ad talem visionem de se sit aptus. — Ab alia tamen parte hæc visio Sanctorum non potest esse comprehensiva, quia non elicitur a solo Deo, sed a Deo et a Sancto simul agentibus. — Ex operatione igitur Dei fit, quod in Sanctis habetur visio divinæ essentiæ intuitiva, quæ facultatem et virtutem omnis naturæ finitæ superat; ex operatione autem Sancti sub actione Dei, quod hæc visio non est comprehensiva, quia repugnat ut ens finitum actum infinitum ponat. Operationi Dei correspondet productio cognitionis intuitivæ, ad quam natura finita quævis virtutem non habet; operationi autem Sancti correspondet, quod iste actus visionis manet finitus.

Opponere quis posset, ipsam Scripturam docere, quod Deus ab homine, qualicumque etiam subsidio adjuto, intuitive videri nullatenus possit, cum S. Paulus I. *Tim.* VI, 16 de Deo dicat : « *Qui.... lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* » et S. Joan. I, 18 : « *Deum nemo vidit unquam.* » — Verum haud difficile est hanc objectionem evertere. Etenim hæc sententia, « *Deum ab homine videri non posse,* » per se potest intelligi aut de impossibilitate absoluta Deum plene comprehendendi; aut de impossibilitate Deum in hac terra, ubi non habemus lumen gloriæ, intuitive videndi; aut de omnimoda impossibilitate Deum videndi, etiamsi nobis supernaturalia concedantur dona : ac proinde ex contextu dijudicandum est, in quonam ex his sensibus ista sententia in citatis locis sit adhibita. Jamvero nihil in Scriptura habetur, unde aliquatenus suadeatur istos textus exprimere quod intuitiva Dei visio pro homine, in quocumque versetur statu, sit impossibilis : sed contra contextus haud obscure indicat eos intelligendos esse de impossibilitate Deum in hac vita, ubi nondum fruimur lumine gloriæ, intuitive videndi. Ergo.

Similes difficultates, quæ e Patribus desumuntur, eadem ratione sunt solvendæ : sæpe enim Patres docent Deum ab homine videri non posse, sed, uti e subjecta materia et e contextu liquet, tantum exprimere intendunt, eum non posse aut plene comprehendi aut per solas naturales vires intuitive videri.

Q. III. *Quo dono egent Sancti ad Deum intuitive videndum,* et *quam certum id est?*

R. *De fide* est eos egere lumine gloriæ, quod est donum intellectum ad Deum videndum elevans. Id enim constat ex conc. Viennensi mox citato. — Hoc autem donum vocatur *lumen,* quia intellectus noster ejus ope elevatur et novas accipit vires ad cognoscendum. Jamvero a lumine, quo oculus corporalis aptus redditur ad objecta intuenda, id omne quod intellectus ex se habet aut accipit ad cognoscendum, per metaphoram etiam lumen vocari solet. Per vocem autem *gloriæ*, determinatur hujus luminis natura : significatur nempe per hoc lumen obtineri gloriam illam justis promissam, visionem nempe Dei intuitivam. Sicut ergo lumen fidei est supernaturale Dei donum ad actum fidei ponendum, ita lumen gloriæ est supernaturale Dei donum ad hunc actum ponendum, quo possidetur gloria cœlestis.

Demonstratur necessitas luminis gloriæ sequenti ratiocinio : Visio Dei intuitiva est certe, uti vidimus, actus excedens naturales hominis vires; atqui nequit talis actus procedere e naturalibus hominis viribus, quia effectus causam suam superare non potest; ergo requiritur in Sanctis ad Deum intuitive videndum aliquod auxilium, intellectus ipsorum incapacitatem supplens. Sed hoc auxilium vocatur lumen gloriæ. Ergo. — Cum autem constet intuitivam Dei visionem cujusvis substantiæ finitæ vires superare, ex ratiocinio hic dato necessario sequitur, istud lumen gloriæ omnino necessarium esse cuivis intellectui finito ad hanc visionem obtinendam.

Q. IV. *In quo consistit essentialiter lumen gloriæ?*

R. De essentia luminis gloriæ nihil ab Ecclesia definitum est, sed hæc ut certa habenda sunt, uti e fidei doctrina colligitur :

1° *Lumen gloriæ certe non est ipsum lumen increatum, seu Deus, sed est donum creatum a Deo Sanctis collatum.* Etenim ut esset ipse Deus, oporteret ut Deus Sanctis uniretur aut secundum naturam aut secundum hypostasin suam. Sed neutrum admitti potest : secundum enim naturam suam nulli substantiæ uniri potest, cum repugnet ut divina natura, utpote infinita, cum finita misceatur; et secundum hypostasin certe cum Sanctis non unitur, quia si id fieret, Sancti essent personæ divinæ, haud secus ac humana Christi natura, hypostatice unita cum Verbo, subsistit sub personalitate divina. Ergo remanet dicendum, lumen gloriæ non esse ipsum Deum, ac proinde esse donum creatum a Deo Sanctis collatum.

2° *Hoc lumen non est ipsa intuitiva Dei visio;* nam Conc. Viennense ait animam per lumen gloriæ elevari ad Deum videndum; ergo distinguit lumen a visione. Lumen enim datur ad visionem, et visio certe non dicitur animam ad visionem elevare.

3° *Hoc lumen non est species menti impressa, h. e.* imago Dei menti impressa. Etenim species seu imago quæ nostræ menti ante cognitionis actum ab objecto præsenti imprimitur, non elevat intellectum, sed vires ad cognoscendum aptas supponit, et unice intellectum ad agendum determinat.

Præterea communis Doctorum sententia est non haberi in intuitiva Dei visione speciem impressam; et id quidem videtur omnino admittendum. Etenim si existeret illa species, necessario esset finita, cum Deus solus sit infinitus; sed imago finita infinitum adæquate repræsentare non potest; ergo Sancti jam non viderent intuitive Deum, sed tantum imperfectam ejus imaginem : quod cum fide pugnat.

4° *Hoc lumen non est substantia quædam nobis superaddita.* Etenim hæc substantia, utpote a Deo distincta, esset finita;

sed nulli substantiæ finitæ, uti jam diximus, competit, ut ex suis viribus Deum videat sicuti est. Ergo.

5° Hisce sententiis sepositis, dicendum manet lumen gloriæ esse *habitum intellectualem supernaturalem, qui intellectum elevat ad eliciendam intuitivam Dei visionem*. Id autem probatur declaratione singularum definitionis partium : — Dicitur *habitus*, i. e. qualitas fixa et permanens; jamvero visio beatifica est permanens et fixa; ergo et auxilium, quo ipsa elicitur, permanenter adesse debet. — Dicitur *intellectualis;* quia in intellectu recipitur, eumque adjuvat. — Dicitur *supernaturalis;* quia naturales vires superat, seu e finita aliqua substantia fluere non potest. — Dicitur : *eliciendam intuitivam Dei visionem*, quo exprimitur proprium ejus officium.

Q. V. *Quo sensu dici potest Sanctos Deum videre in verbo divino?*

R. *Prænotetur :* 1° omnem rem ab intellectu cognosci in imagine, quam ipse intellectus de hac re in se formavit; 2° hanc imaginem vocari *speciem* (imaginem) *expressam* a mente, utpote ab intellectu vere formatam, necnon *verbum mentis*, quia nempe per verba seu voces externe exprimitur; 3° ipsum Deum se cognoscere in imagine, quam ut intellectus infinitus de se efformat; hanc imaginem in Deo non esse accidentalem, sicuti in nobis, sed substantialem, et ita in Deo constituere distinctam personam; atque hanc personam divinam inde vocari *Verbum Dei*.

Ad quæsitum igitur respondendum est : Sancti, Deum videndo, eum etiam cognoscunt in imagine, quam de ipso in se efformant, seu in verbo mentis suæ; et hæc imago seu verbum dici potest *divinum*, non quasi esset ipsum Verbum Dei, imago nempe quam Deus de seipso habet, et quæ est persona Verbi divini; sed quia simile est imagini seu Verbo Dei, utpote referens Deum sicuti est, et quia efformatum est virtute non naturali sed supernaturali seu divina, lumine nempe gloriæ.

X. Inquiritur de modo, quo Sancti ex visione Dei intuitiva plene sunt beati :

Q. I. *Quomodo visio Dei Sanctos reddit plene beatos?*

R. Hæc Dei visio ex seipsa plenam in Sanctis beatitudinem parit. Etenim, ut quis sit plene beatus, requiritur, ut amet et concupiscat aliquam rem ut perfectum suum bonum, ut præterea eam possideat, et tandem ejus possessione fruatur. Jamvero hæc omnia ope visionis Dei præstantur. Et re quidem vera, Deo intuitive viso, intelligit homo nihil sibi melius esse, quam Deum facie ad faciem videre, et hoc esse summum et plenissimum suum bonum. Visio enim Dei est immediata participatio ipsius beatitudinis divinæ, quæ sane cujusvis entis creati naturalem beatitudinem infinite superat. Porro, hoc intellecto, voluntas in visionem Dei summopere fertur, illamque ut perfectum suum bonum ardentissime concupiscit; et ita ex Dei visione habetur *res amata et desiderata ut perfectum bonum*. Dein per ipsam Dei visionem etiam *possidetur* hæc res desiderata; et tandem hac re possessa, quæ ut supremum bonum desideratur, habetur *quies voluntatis* seu *fruitio*. Ergo liquet intuitivam Dei visionem ex seipsa plenam Sanctis procurare beatitudinem.

Q. II. *Quales actus concurrunt in Sanctis ad eorum beatitudinem et quem locum in eis habet visio Dei?*

R. Uti liquet ex supra dictis, concurrunt hi tres actus : visio seu cognitio, amor et fruitio; fundamentalis autem et præcipuus actus est visio seu cognitio.

XI. Scholion. *Quod ad relationem attinet, inter visionem Dei in cælo et gratiam sanctificantem in terris, hæc notentur.* Totus supernaturalis ordo in hoc consistit, quod homo, qui ex natura sua non est Dei filius (utpote ex Deo non natus, et similem cum ipso naturam non habens) sed Dei servus (utpote inferioris naturæ quam Deus et a Deo plene dependens), a Deo vocatur ut fiat filius ejus adoptivus, et qua talis illorum particeps fiat bonorum, quæ de se ad divinam naturam solam per-

tinent. In hoc autem adoptionis statu duo distinguuntur stadia : unum est status viæ; alterum est status termini seu cœlum. In statu viæ, homo gratia sanctificante ornatus jam est filius Dei adoptivus; « *nunc filii Dei sumus,* » ait S. Joan. I. Epist. III, 2; verumtamen nondum hic accipit plenitudinem bonorum Patris cœlestis adoptantis; *nondum apparuit quid erimus*, uti addit S. Joannes. Similis nempe est conditio adoptivi filii Dei in hac vita cum sorte, quam filius adoptivus apud homines obtinet ante mortem patris sui adoptantis. Iste jam particeps est aliquorum bonorum patris sui, atque cum ipso agit haud sicut extraneus sed sicut filius; verum quoad plenitudinem bonorum patris, jus quidem habet ut ea hereditate postea accipiat, sed nondum ea possidet eisque fruitur. Jamvero pari modo adoptivus Dei filius in hoc mundo fruitur jam multis bonis divini ordinis; per fidem nempe fit particeps ipsius scientiæ Dei et novit bona Patris cœlestis, quæ postea accepturus est, atque per cæteras omnes virtutes supernaturales capax est ut Deum suum amet et colat modo omnem naturalem potentiam superante, et plenitudinis bonorum Patris meritorio; verum hanc plenitudinem bonorum Patris nondum obtinet, sed unice, ut heres ad hereditatem patris sui, jus ad ea habet. — In altero autem stadio, in statu termini seu in cœlo obtinetur plenitudo bonorum Dei adoptantis, visio nempe Dei intuitiva, quæ est plenitudo bonorum Dei. In cœlo igitur potitur homo, adoptivus Dei filius, hereditate Patris sui cœlestis; obtinet plenitudinem bonorum Patris sui eisque plenissime fruitur.

Ut igitur uno verbo rem dicamus : per gratiam sanctificantem homo fit in hac vita filius Dei adoptivus, et qua talis jam obtinet quædam divina bona atque jus ad plenitudinem bonorum Dei, qui pater suus factus est; sed nondum obtinet hanc bonorum plenitudinem. In cœlo autem per visionem beatificam obtinet hanc plenitudinem bonorum Dei, ad quæ ut filius Dei in terris obtinuerat jus.

§ II.

Q. An habetur in cœlo merces accidentalis, et quænam?

R. *Ut certum tenendum est dari in cœlo mercedem accidentalem, et quidem duplicis speciei : aliam nempe beatitudini essentiali semper conjunctam et ideo omnibus Sanctis communem, quæ consistit in mutuo honore et gloria, in pacifico Sanctorum consortio, in gloriosis dotibus corporis post resurrectionem et in aliis omnigenis delectationibus a Deo superadditis; et aliam aliquibus ex speciali dono concedendam, quæ nempe consistit in aureolis Virginibus, Martyribus et Doctoribus propriis.*

—

I. Explicatio : Notetur vocem *aureola* significare parvam coronam auream. Hæc autem merces accidentalis quibusdam propria vocatur aureola seu parva corona respectu ad mercedem essentialem, in visione Dei consistentem, quæ magna est corona.

II. Demonstratur prior pars. Dari in cœlo hanc mercedem accidentalem omnibus Sanctis communem, facile ostenditur : Etenim 1° certe omnes Sancti gloriam et honorem summum accipiunt a Christo ut homine, ab Angelis et ab omnibus Sanctis, nam hi omnes claram et apertam de singulorum Sanctorum excellentia notitiam habentes, atque semper recte et sancte agentes, non possunt eos debito non prosequi honore. — 2° Singuli Sancti ex visione Dei cognoscunt intime Christum ut hominem, Angelos et Sanctos omnes; et inde cum eis consortium habent, et intima fruuntur amicitia, quæ nunquam ullatenus turbatur. Jamvero amicitia cum personis sapientibus et sanctis semper naturæ humanæ maxime placet gaudiumque ei affert. Ergo. — 3° Omnes Sancti post resurrectionem carnis corpus habebunt splendidissimis ornatum donis; sed omnis perfectio naturæ

nostræ gaudium nobis procurat. Ergo. — 4° Certum denique est singulos Sanctos etiam et alias omnigenas veras delectationes accepturos, nam Scriptura et Patres omni modo exprimunt nullum verum gaudium in cœlo deesse; asserunt enim ibi dari mensuram mercedis supereffluentem et coagitatam. Ergo.

III. Demonstratur posterior pars. Per aureolam intelligitur merces quædam specialis ob specialem aliquam victoriam in re morali obtentam; et sane decet, ut Deus specialem aliquam mercedem iis concedat qui specialem retulerunt victoriam, cum merces victoriæ respondere debeat. Jamvero tres sunt præcipuæ victoriæ quæ ab homine referri possunt, juxta triplicem pugnam cum triplice hoste, cum carnis scilicet concupiscentia, cum mundo seu bonis temporalibus, et cum dæmone qui pater est mendacii. De concupiscentia carnis in res venereas plenissime triumphat *virgo* per plenam ab actu venereo abstinentiam; de mundo, seu bonis temporalibus, plenissime triumphat *martyr*, qui pro Deo suo vitam ipsam, quæ primum est temporale bonum, amittit; et de dæmone qui tenebras spargit et pater est mendacii, plenissime triumphat *doctor*, h. e. ille qui intrepide veritatem docet et hominibus rectam ostendit viam. Ergo liquet virginibus, martyribus et doctoribus specialem deberi mercedem accidentalem seu aureolam. Hæc demonstratio confirmatur per fere unanimem theologorum consensum.

IV. Nota. *Si quæratur qua in re istæ aureolæ consistant*, dicendum videtur eas esse qualitates aliquas repræsentantes illas victorias tum in anima tum etiam post resurrectionem in corpore. Attamen de hac quæstione nihil cum plena certitudine affirmari potest.

§ III.

Q. Utrum beatitudo essentialis in visione Dei consistens in omnibus Sanctis est æqualis, an vero pro meritorum disparitate inæqualis?

R. *Fides catholica docet eam esse pro meritorum disparitate inæqualem.*

—

I. **Gradus certitudinis**. Hæc veritas, uti jam diximus, est *de fide*. In Conc. Flor. enim definitum est, Sanctos *intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.*

II. **Demonstratio.** 1° *e S. Scriptura.* S. Paulus I. Cor. III, 8 dicit : « *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet* » *secundum suum laborem;* et II. Cor. IX, 6 : *Hoc autem* » *dico : qui parce seminat parce et metet; et qui seminat in* » *benedictionibus* (h. e. copiose), *de benedictionibus et metet.* » Jamvero hisce verbis clare exprimitur de ratione mercedis nostræ esse, ut proportione respondeat meritis nostris. — Idem licet concludere ex textu S. Pauli I Cor. XV, 41 : « *Alia claritas solis,* » *alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a* » *stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum.* » Hic quidem agit Apostolus de diversa corporum gloria; sed si diversitas futura est in corporibus, a fortiori erit et in anima, cum gloria corporis ab illa animæ sit dependens.

2° *e Traditione.* Hoc dogma clare supponunt Patres, quoties de præstantia virginitatis præ matrimonio, viduitatis præ secundis nuptiis disputant. Virginitatem enim et viduitatem maxime commendant ob summam mercedem in cœlo inde obtinendam; sed hæc ratio non valeret, si merces in omnibus esset æqualis.

3° *e ratione theologica.* Sapientis et justi Domini est non modo ut præmia bonis et pœnæ malis decernantur, sed etiam ut in eis decernendis servetur proportio cum bonis et malis meritis : secus enim deessent efficacia incitamenta ad perfectius virtutum exercitium, ad fortiter adversa perferenda, ad magna et ardua suscipienda. Sed visio Dei intuitiva est merces seu præmium justis promissum, nec, uti ipsa experientia et communis sensus testantur, eadem sunt omnium merita. Ergo. — Hoc

argumentum urgebat S. Hieronymus contra Jovinianum dicens : « Si nulla sit meritorum diversitas, si nihil distet inter virgines » et mulieres conjugatas; si æqualis meriti sint leviora virtutum » opera et martyrum constantia, vanum erit perfectionis stu» dium, tædiosus omnino erit virtutum labor, omnes a perfec» tione retrahentur. Quid perseverant virgines? Quid laborant » viduæ? Cur maritatæ se continent? Peccemus omnes et post » pœnitentiam idem erimus, quod Apostoli sunt. »

III. Errores. *Jovinianus*, qui placita Stoicorum sequebatur, docuit omnia merita et ideo etiam omnia præmia esse æqualia; et inde inferebat, Sanctos omnes æqualiter frui visione beatifica. Ad eamdem sententiam pervenit *Lutherus* ex sua opinione de justitia Christi justificatis imputata.

IV. Objectiones. 1° In parabola, quæ legitur Matth. XX, Paterfamilias eamdem reddit mercedem omnibus operariis, licet non omnes eadem hora laborare cœperint, ita ut alii plus aliis laboraverint. Jamvero hæc parabola significat futuram retributionem. Ergo merces cœli in omnibus erit æqualis.

R. Valeret objectio, si adversarii demonstrare possent, quod scopus hujus parabolæ indubie est, declarare utrum merces cœli sit pro meritis inæqualis, an vero in omnibus æqualis. Verum id præstari non potest, imo contra constat Christum in ista parabola nihil aliud intendere, quam hanc veritatem confirmare: « *Multi primi erunt novissimi et novissimi primi*, » h. e. multi eorum, qui in hoc sæculo sunt primi viribus, divitiis, scientia, fama etiam et opinione sanctitatis, in altero erunt ultimi seu nullius fient et contemnentur : contra multi, qui in hoc sæculo sunt ultimi nulliusque fiunt, erunt in altero primi in honore et gloria. Id enim clare constat e contextu, in quo Dominus agit de pleno mundi, honoris et divitiarum contemptu; et spiritum paupertatis perfectæque abnegationis ex summa mercede inde obtinenda commendat. Jamvero hic sane locus non erat docendi singulorum justorum mercedem fore æqualem; sed

contra proponendum erat, quomodo qui juxta Christi consilium ultimi facti essent in hoc mundo, primum obtinerent locum in cœlo.

Instant adversarii et dicunt : responsum, quod paterfamilias dat murmurantibus operariis, qui pondus diei portaverant, clare indicat, ipsum non retribuere secundum justitiam tantum sed ex benignitate omnibus absque distinctione æquale dare præmium; dicit nempe : « *Volo et huic novissimo dare sicut et tibi; aut* » *non licet mihi quod volo facere?* » Ergo et Deus, cujus iste paterfamilias est imago, non retribuet ex justitia tantum, sed ex benignitate singulis justis eamdem tribuet mercedem in cœlo.

Verum respondetur : hæc phrasis nullatenus retributioni divinæ justis faciendæ potest applicari, nam Sancti certe contra Dei sententiam non murmurabunt; ac proinde unice habenda est, ut ad parabolæ ornatum inserviens. Ergo liquet ex his verbis nihil contra nostram doctrinam deduci posse. — Ad ornatum autem parabolæ optime inserviunt hæc verba : tale enim dat responsum paterfamilias, quia decorem servare volebat, factique sui vili servo non reddere rationem.

Obj. 2° Si Sancti æqualem non obtineant essentialem mercedem, illi omnes qui minus habent dolebunt ex eo quod cæteris inferiores sunt, et ita plene beati non erunt. Jamvero omnes cœli cives sunt plene beati. Ergo.

R. Non essent plene beati, si concupiscere possent, ut alii sibi superiores majori sua gloria privarentur, vel ut ipsi plus acciperent; nam qui non habet, quod desiderat, non est plene beatus. Atvero hæc concupiscere non possunt : divina enim essentia visa, statim intelligunt summam Dei in retribuendo justitiam et sanctitatem, summo amore divinam amplectuntur sententiam, et absolute nihil contra eam desiderant. Ergo ex inæqualitate mercedis cœlestis nullatenus fluit Sanctos gradu gloriæ inferiores plena beatitudine carere.

V. Nota. Si quæratur, undenam diversitas in visione beati-

fica, quæ essentialis cœli est merces, habeatur, liquet eam fluere ex majori vel minori luminis gloriæ intensitate. Est enim ex lumine gloriæ, quod Sancti habiles redduntur ad Deum intuitive videndum; et hoc lumen est habitus creatus, qui major vel minor esse potest.

§ IV.

Q. QUAMDIU DURABIT BEATITUDO CŒLESTIS?

R. *Beatitudo cœlestis, semel obtenta, nunquam habitura est finem.*

—

I. Gradus certitudinis. Hoc responsum est *de fide,* uti constat e symbolo, in quo profitemur credere *vitam æternam;* et e Const. Bened. XII.

II. Demonstratio : 1° *e S. Scriptura. a)* In SS. Litteris merces cœlestis vocatur simpliciter *æterna;* ita Matth. XXV, 46, legitur : « *Et ibunt hi in supplicium æternum : justi autem* » *in vitam æternam.* » Verum quidem est vocem *æternus* quandoque solum significare diuturnam durationem; sed in præsenti loco certe in proprio sensu est sumenda, cum nihil exigat aut saltem suadeat metaphoricam interpretationem, et insuper aliæ habeantur in S. Scriptura locutiones quæ indubie exprimunt cœlum esse vere æternum, uti e sequentibus patebit.

b) Excludit Scriptura a cœlesti beatitudine omnem terminum. Ita Matth. VI, 20, legitur : « *Thesaurizate vobis thesauros in* » *cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures* » *non effodiunt, nec furantur.* »

c) Cœlum dicitur *semper* duraturum. Ita I. Thess. IV, 16 legitur : « *semper cum Domino erimus.* »

d) Cœlum dicitur *immarcescibilis, incorruptibilis corona.* Ita I Petr. V, 4 dicitur : « *Immarcescibilis gloriæ corona* »; et I. Cor. IX, 25 : *Corona incorrupta.*

2° *e Traditione.* Satis erit citare textum S. Chrys. Hom. 6.

ad Hebr. : « Cogita quantum sit, animam, cum in cœlum » abierit, non amplius exspectare finem illorum bonorum, nec » mutationem, sed incrementum et vitam, quæ non habet finem, » ab omni quidem periculo liberam, et ab omni animi ægritudine » et sollicitudine immunem, plenam animi gaudio et bonis innu- » meris. »

3° *e ratione theologica.* Id enim postulat ipsa essentia perfectæ beatitudinis. Et re quidem vera, perfecta beatitudo, qua talis, debet esse sufficiens ad satiandum appetitum hominis, et proinde excludere omne malum. Jamvero hujusmodi non esset, nisi duratura esset sine fine. Ergo. — Quod enim ad excludendum omne malum, debet esse æterna, facile intelligitur : naturaliter desiderat homo retinere bonum quod habet, cum melius sit in beatitudine existere quam eam deperdere; ac proinde haud plene satisfieret votis ejus, si beatitudo, quam possidet, unquam finem obtentura esset. — Hæc plene confirmantur per hanc S. Augustini sententiam (*De Trin.* L. 13, c. 11) : « Si quem, ait, beata vita deserit, aut nolentem deserit procul » dubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem quomodo » beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in po- » testate?..... Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo » beata erat, quam perire voluit, qui habebat? Restat, ut dicant » neutrum esse in anima beati; id est, eum deseri a beata vita, » cum per mortem deserit tota vita, nec velle, nec nolle, ad » utrumque enim parato et æquo animo consistere. Sed nec ista » beata est vita, quia talis est, ut quem beatum facit, amore » ejus indigna sit. »

§ V.

Q. Qualis est status Sanctorum quoad actus suos?

R. *Evacuantur in eis virtus fidei, cui succedit lumen gloriæ, necnon virtus spei ex defectu objecti; verum manent charitas et etiam virtutes ei annexæ quoad actus, qui cum*

statu beatifico non pugnant. Insuper habetur in eis plena impeccabilitas.

—

I. Gradus certitudinis. Quæ hic affirmantur de virtutibus, quæ Sanctis sunt propriæ, sunt *de fide* ex Const. Bened. XII, ea parte excepta, in qua agimus de virtutibus moralibus : hæc enim est tantum *certa,* utpote ab Ecclesia non definita, sed a theologis communissime tradita. Sanctos autem esse omnino impeccabiles, est *de fide,* uti constat ex eadem Const. Bened. XII, in qua docetur, quod « visio et fruitio (in cœlo) » sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis et » fruitionis continuata existit et continuabitur usque ad finale » judicium, et ex tunc usque in sempiternum. »

II. Demonstratio prioris partis. Sanctos iis habitibus, quos diximus, et eis solis esse ornatos, facile ostenditur. Gratia enim sanctificans, qua sunt induti, cum sit quasi nova divini ordinis natura, ad suum complementum supernaturales requirit habitus, haud secus ac quævis natura postulat facultates ad se pertinentes. Jamvero in cœlo habitum fidei non amplius requirit, cum ibi veritates credendæ non habeantur, siquidem omnia per lumen gloriæ videantur facie ad faciem. Neque etiam amplius requirit spem, cum bona in vita sperata ibi possideantur. Evacuantur igitur fides et spes, utpote supervacaneæ et inutiles. Atvero requirit charitatem cum Deus et proximus, charitatis objectum, maneant; et requirit quoque virtutes morales, sed quoad eos tantum actus, qui cum statu beatifico concordes sunt. Quod autem manent in cœlo actus ad has virtutes pertinentes, extra dubium versatur. Ita prudentiæ ibi erit, nullum bonum Deo præponere vel æquare; fortitudinis erit Deo firmissime inhærere; temperantiæ erit, nullo defectu noxio delectari; justitiæ erit subditum esse Deo.

III. Demonstratio posterioris partis : *a)* Impeccabilitatem Sanctorum postulat imprimis cœli æternitas. Beatitudo enim

cœlestis, cum sit in perpetuum duratura, necessario excludi e cœlo postulat, quidquid esset causa seu ratio ipsam amittendi. Atqui peccatum, si dari posset in Sanctis, certe esset causa amittendi beatitudinem. Ergo beatitudo æterna postulat excludi e cœlo peccatum. — Inde dicit S. Augustinus (*contra epist. Pelag.* L. 3, c. 7) : « Hic ergo præceptum est, ut non peccemus : » ibi præmium non posse peccare. Hic præceptum est, ut desi- » deriis carnis non obediamus : ibi præmium, ut desideria » peccati non habeamus. » *b)* Impeccabilitas Sanctorum sequitur etiam necessario ex intuitiva Dei visione. — Naturaliter enim creatura rationalis appetit esse beata, et non potest velle non esse beata. Potest tamen per voluntatem deflectere ab eo in quo vera beatitudo consistit, quod est peccare; sed id contingit ex eo quod hoc objectum, in quo vera beatitudo est, non apprehenditur sub ratione beatitudinis; et contra objectum in se malum apprehenditur sub hac beatitudinis ratione. Ita qui beatitudinem suam ponit in voluptatibus corporalibus, æstimat eas sibi optimas esse; et qua tales eas prosequitur. Atvero illi, qui sunt plene beati in cœlo, certe apprehendunt bonum a se possessum ut summum suum bonum : alias enim in hoc non quiesceret eorum appetitus, et consequenter ex ipso non essent plene beati. Si vero bonum, quod possident, intelligunt esse summum, et necessario plenam suam beatitudinem concupiscunt, liquet eos non posse ab hoc bono deflectere et peccatum eligere : ita enim non amplius vellent plenam suam beatitudinem. Ergo. (Cfr. S. Thom. *contra Gent.* L. 4, c. 92.)

S. Thomas in eadem *Summa sua contra Gent.* L. 3, c. 62, prædictum argumentum etiam hoc modo exponit : « Impos- » sibile est, ait, quod aliquis a bono, quo fruitur, velit discedere, » nisi propter aliquod malum quod in fruitione illius boni æsti- » matur, saltem propter hoc, quod æstimatur impedimentum » majoris boni. Sicut enim nihil desiderat appetitus nisi sub » ratione boni, ita nihil fugit nisi sub ratione mali. Sed in

» fruitione illius visionis non potest esse aliquod malum, cum
» sit optimum ad quod creatura intellectualis pervenire potest
» neque etiam potest esse quod ab eo qui illa fruitur visione
» æstimetur in ea esse aliquod malum, vel aliquid eo melius,
» cum visio illius summæ veritatis omnem falsam æstimationem
» excludat. Impossibile est igitur quod substantia intellectualis,
» quæ Deum videt, unquam illa visione carere velit. »

Scholion. De loco cœli notandum est, S. Scripturam frequenter significare, quod cœlum est supra terram elevatum; ut dum dicit, quod Christus ascendit in cœlum; quod debemus, quæ sursum sunt, sapere; etc. — Theologi autem communiter post S. Thomam docent cœlum esse locum altissimum super omnia creata elevatum, seu spatium illud, quod a quibusdam vocatur cœlum empyreum, id est, ignitum, non ab ardore, sed a splendore.

Post resurrectionem autem carnis Sancti non solum ut habitaculum habebunt cœlum, in quo nunc sunt sine corpore, sed etiam terram innovatam omnique gloria et decore circumdatam; uti infra dicemus.

PARS POSTERIOR

De Novissimis mundi totiusque humani generis

CAPUT PRIMUM

De mundi per ignem destructione ejusque renovatione

Prænotanda. Ad quæstionem de mundi per ignem destructione ejusque renovatione in lucem proferendam, sequentia investiganda sunt : 1° An revera mundus finem habiturus est et quidem per ignem; 2° An revera hujus mundi consummatio non in annihilatione sed in renovatione consistit; 3° Qualis erit mundi renovati conditio; 4° Quando hæc mundi destructio et renovatio fient.

§ I.

Q. An mundus finem habiturus est, et quidem per ignem?

R. *Doctrina catholica tenet mundum esse finem habiturum, et instrumentum ejus destructionis esse ignem.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *de fide*, utpote clarissime in fidei fontibus contenta.

II. Demonstratio prioris partis : 1° *e S. Scriptura*. Mundum destruendum esse plene constat e locutione « *consummatio sæculi*, » quæ frequenter in Scripturis occurrit. Etenim in hac locutione per vocem *sæculum* non intelligitur, uti omnes

fatentur, spatium temporis, sed mundus; ergo. — Dein Christus hanc veritatem expresse declaravit dicens Matth. XXIV, 35 : « *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* » (Cfr. etiam Matth. V, 18.)

2° *e Traditione.* Ecclesiæ documenta, haud secus ac Scriptura, loquuntur de fine seu de consummatione sæculi. Ita in Later. IV, cap. *Firmiter*, legitur : « Venturus Christus in fine sæculi. » Patres clare eamdem doctrinam proponunt; ita S. Basilius, Hom. 1, *in Hexæm.* dicit : « Ne male persuasus credas, » mundum hunc nullum habiturum esse finem : præterit enim » figura hujus mundi, et cœlum et terra transibunt. Quæ ex » tempore cœperunt, necesse prorsus est ut eadem aliquando » desitura sint, et consummanda. »

3° *e ratione theologica.* Mundi destructio intime connectitur cum universali judicio circa totum humanum genus instituendo. Etenim totus ordo, qui in mundo habetur, est propter hominem; ac proinde alius atque alius debet esse juxta diversam humani generis conditionem. Jamvero humanum genus usque ad judicium ultimum, haud secus ac singuli homines usque ad mortem, est in statu viæ; sed post hoc judicium est in statu termini. Ergo mundus, si juxta diversam humani generis conditionem sit mutandus, tempore judicii ultimi actualem suum ordinem debet amittere, seu destructionem debet subire.

III. Demonstratur pars posterior : 1° *e S. Scriptura.* Mundum igne destruendum esse expresse docemur II S. Petri, III, 6, 7 : « *Ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli* » *autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt* » (potestate Dei custodiuntur), *igni reservati in diem judicii.* » Hisce enim in verbis dicitur, quod, quemadmodum mundus antiquus diluvio periit, mundus novus post diluvium a Deo instauratus et Dei potentia nunc custoditus in die judicii per ignem peribit. — Idem latius declarat S. Petrus in sequenti v. 10 dicens : « *Adveniet dies Domini ut fur, in quo*

» *cœli magno impetu transient* (cum vehementi sonitu peri-
» bunt); *elementa vero calore solventur* (door hitte gesmolten
» of ontbonden worden), *terra autem et quæ in ipsa sunt*
» *opera exurentur* » (h. e. ipsa terra necnon opera naturæ, uti homines, animalia, plantæ, metalla, omniaque corpora mixta; et opera hominum, uti ædificia, civitates omnesque res ab homine effectæ igne comburentur).

2° *e Traditione*. Patres expresse docuerunt mundum igne esse destruendum. Ita S. Augustinus *De Civ. Dei*, L. 20; c. 16 scribit : « Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium confla-
» gratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum
» inundatione diluvium. Illa utique, ut dixi, conflagratione
» mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corpo-
» ribus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus
» interibunt. » Pariter S. Greg. M. *in Ezech*. L. 1. Hom. 8, ait : « Mundus quidem igne judicii cremabitur, sed aqua jam diluvii
» non deletur. » — Præterea hæc doctrina clare etiam continetur in antiquis Ecclesiæ precibus; ita in cæremoniis circa baptismum et alia sacramenta vel sacramentalia antiquitus præscriptis dicitur Christus *judicaturus vivos et mortuos et sæculum per ignem*.

Accedit etiam et paganos admisisse, quod mundus igne destrueretur : id enim docuerunt, uti notum est, Stoici; et oracula Sibyllarum atque antiquissimi Germanorum cantus id clare proclamant. Hæc autem paganorum doctrina cum catholica fide concordans aperte indicat, jam ab initio mundi a Deo revelatum et ab hominibus creditum esse, quod mundus igne sit periturus.

— Notari etiam potest mundi per ignem destructionem cum theoriis scientiæ geognosticæ nullatenus pugnare; nam ipsæ docent in mundi formatione interiorem terræ ignem magnam habuisse partem, atque omnino probabile esse, quod ex hoc igne adhuc multæ in terra commutationes orituræ sunt. Atvero caveamus inde catholicam doctrinam de mundi per ignem

destructione demonstrare, cum hoc factum a libera Dei voluntate plene sit dependens, ac proinde ex sola revelatione demonstrari possit.

IV. Quæstiones subsidiariæ circa mundi combustionem.

Q. I. *Ad quænam objecta se extendet combustio ista?*

R. Certe se extendet ad cœlum aëreum (l'atmosphère) et ad totam terram nostram (terra solida et mare) cum omnibus entibus, vel naturali vi vel hominum industria productis, quæ in ea sunt. Verum probabilius se non extendet ad cœlum sidereum seu ad solem, lunam et stellas.

Cœlum aëreum igne periturum esse docemur a S. Petro II c. III, 10 : « *cœli magno impetu transient;* » et v. 12 : « *cœli ardentes solventur.* » Jamvero vox *cœlum* hic certe debet intelligi de cœlo aëreo, nam S. Petrus dicit hoc per ignem periturum esse cœlum, quod per diluvium jam perierat (cfr. v. 5 et 6). Atqui per diluvium periit cœlum aëreum. Ergo.

Etiam totam terram nostram cum omnibus entibus in ea existentibus igne perituram esse, pariter constat ex versiculis Epist. S. Petri jam citatis. In. v. 10 legitur : « *elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* » Jamvero elementa, de quibus hic fit sermo, sunt elementa terræ, uti patet ex eo quod opponuntur cœlis; et significant totam terrenam substantiam, ac proinde terram et omnia entia terrena; uti S. Petrus ipse explicat addendo : « *terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* » Hæc enim phrasis explicat quid sit illa elementorum terræ combustio. Ergo.

De combustione autem cœli siderei neque in textu S. Petri, sat late tamen finem mundi describente, neque in alio scripturæ loco fit sermo. Præterea etiam Patres non docent hoc cœlum igne destruendum esse. Quare opinandum videtur combustionem mundi se ad cœlum sidereum non esse extensuram. — Dicitur quidem Matth. XXIV, 29 : « *stellæ cadent de cœlo;* » verum

in his verbis non agitur de combustione. Dein ex ipsa subjecta materia evidens est hæc esse metaphorice interpretanda; sensus nempe est : talia fient in cœlo, ut stellæ videantur e cœlo aut cadere aut cecidisse.

Q. II. *Undenam erit iste ignis, quo mundus comburetur?*

R. Dicendum videtur cum S. Thoma *Suppl.* Q. 74, a. 3, quod hæc conflagratio nihil aliud erit, quam congregatio omnium causarum inferiorum et superiorum, quæ ex natura sua habent virtutem igniendi : quæ quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute divina fiet, et ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis, qui faciem hujus mundi exuret.

Q. III. *Quare iste ignis dicitur a Patribus et a Theologis purgatorius?*

R. Ratio in eo est, quod per hunc ignem destruentur tum opera ex iniquitate hominum confecta, tum actualis mundi conditio, quæ tota fluit ex culpa ab Adamo admissa. Per eam enim totus mundus in deteriorem cecidit sortem, uti patet ex testimoniis Gen. III, et Rom. VIII, 19-21, mox exponendis. — Vere igitur purgatorius potest dici ignis ille, utpote destruens peccati effectus seu opera.

Q. IV. *Quamdiu durabit mundi conflagratio?*

R. Utrum brevi tempore absolvenda, an vero longo tempore duratura sit, certe dici nequit, cum revelatio hac de re taceat. Forsan sat diu durabit, cum Deus in operibus suis ad extra non soleat miracula absque necessitate multiplicare, ac aliunde nihil obstet, quominus Deus permittat, ut ignis semel accensus naturalem suam vim exerat. Jamvero plena terræ combustio, secundum ordinariam ignis virtutem mensurata, sat diu duraret. Ergo.

§ II.

Q. Qualis erit effectus conflagrationis terræ?

R. *Terra hac combustione non annihilabitur, sed ab actuali sua liberabitur conditione, ut novam a Deo accipiat.*

—

I. **Gradus certitudinis.** Hæc assertio saltem est *theologice certa*, utpote communi theologorum consensu e fidei fontibus deducta.

II. **Demonstratio** : 1° *e S. Scriptura. a*) Post mundi combustionem erunt cœlum novum et terra nova, uti patet ex II Petr. III, 13 : « *Novos vero cœlos et novam terram secun-* » *dum promissa ejus exspectamus, in quibus justitia habi-* » *tat.* » Jamvero hic cogitanda sunt cœlum et terra non post mundi combustionem ex nihilo creata, sed ex materia post combustionem remanente omnipotentia Dei efformata. Opponuntur enim cœlum et terra, quæ post mundi consummationem futura sunt, cœlo et terræ a Deo post diluvium instauratis ; jamvero hæc non fuerunt ex nihilo creata, sed ex remanente materia instaurata ; ergo et ista ex nihilo non sunt creanda, sed ex mundo combusto efformanda.

b) Idem aperte constat ex S. Paulo Rom. VIII, 19, 20 et 21 : « *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.* » *Vanitati (corruptioni) enim creatura subjecta est non vo-* » *lens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe, quia et ipsa* » *creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem* » *gloriæ filiorum Dei.* » Quorum verborum hanc paraphrasin dat *Ill. Beelen* : « Illam filiorum Dei glorificationem irrationalis » creatura (omnia entia ratione carentia) constanter exspectat. » Fragilitati (corruptioni et morti) enim hæc se submisit non sua » sponte, sed ut Dei eam subjicientis obsequeretur voluntati, » hanc interim divinitus spem habens fore scilicet ut ipsa » quoque liberetur a servitute corruptionis et transeat ad liber- » tatem gloriosæ incorruptionis filiorum Dei. » Relicta autem metaphora, qua S. Paulus entia irrationalia uti personam proponit, in istis verbis hæc habentur : omnia irrationalia mundi entia, ubi filii Dei, i. e. Sancti, in corporibus suis glorificabuntur, etiam novam et gloriosam conditionem accipient. Ipsa enim nunc mutationi, corruptioni et morti sunt subjecta, non quidem

ex sua primitiva destinatione a Deo accepta, sed ex voluntate Dei, qui præternaturalia creaturæ irrationalis dona auferendo, voluit creaturæ rationalis seu hominis peccatum punire. Verum ubi Deus irrationales creaturas hisce donis privavit, non intendit ea auferre in perpetuum, sed ea restituere ubi homines sancti plenitudinem bonorum ad filios Dei pertinentium rursus acciperent, in consummatione nempe sæculi. — Quod ut intelligatur, observetur oportet, e Gen. III plene constare, ante Adami peccatum totam naturam irrationalem splendidís donis fuisse ornatam, quibus post hoc peccatum in hominis punitionem est privata. Ita Gen. III, 17 legitur ad Adamum dictum : « *Maledicta terra* » *in opere tuo* (propter peccatum tuum)... *Spinas et tribulos* » *germinabit;* » et ad serpentem v. 14 : « *Quia fecisti hoc,* » *maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ : su-* » *per pectus tuum gradieris et terram comedes.* » Hisce exprimitur regnum vegetale et etiam regnum animale (quod hic repræsentatur per serpentem), ad naturalem suam conditionem ob hominis peccatum decidere. Naturale enim est terræ, spinas et tribulos de se producere; et naturale quoque est serpenti, cæteris bestiis quoad formam suam esse inferiorem, siquidem super pectus suum graditur et ore terram tangit. Jamvero, si hæc conditio quæ per se est naturalis, infligatur ut pœna, necessario concludendum est, ante Adami peccatum aliam exstitisse pro regno vegetali et animali conditionem naturali longe superiorem. Hæc autem conditio superior de facto non exstitit nisi in paradiso; verum ex Dei decreto ad totum mundum erat extendenda, si homo non peccasset. — Cum igitur S. Paulus expresse affirmet quod irrationalia mundi entia dona præternaturalia, quæ in initio per hominis peccatum amiserant, in fine mundi recuperarent, liquet mundum igne non esse annihilandum, sed unice ab actuali sua conditione liberandum, ut novam accipiat.

2° *e Traditione.* Eamdem veritatem aperte tradunt Patres :

ita S. Hieronymus in Isaiam, LXV, scribit : « *Novos cœlos et* » *novam terram videmus, et repromissionem ejus* : non » dixit, alios cœlos et aliam terram videbimus, sed veteres et » antiquos in melius commutatos; » et eodem loco hanc mutationem ita explicat : « Quod, ait, ut possit intelligi, nostræ » conditionis ponamus exemplum. Infans quum in puerum cre- » verit et puer in juvenem et juvenis in virum et vir in senem, » nequaquam per singulas ætates perit. Idem enim est, qui » prius fuit; sed paulatim immutatur, et ætati pristinæ periisse » dicitur. » Pariter S. August. *De Civ. Dei* L. 20, c. 14 dicit : « Mutatione rerum, non omnimodo interitu transibit hic mun- » dus. Unde et Apostolus ait : præterit figura hujus mundi. » Figura præterit, non natura. »

3° *e ratione theologica.* Cum juxta Scripturæ doctrinam cœlum novum et terra nova post sæculi consummationem futura sint, facile intelligitur cœlum et terram, quæ nunc sunt, per ignem non esse totaliter destruenda seu annihilanda. Deus enim, qui summe est sapiens, opera inutilia non facit. Jamvero, cur totaliter destrueret cœlum et terram per ignem, et dein novam ex nihilo crearet materiam, unde novum cœlum novamque terram efformaret? — Dein, uti per se patet, maxime conveniens est, ut quemadmodum corpora Sanctorum identica erunt cum corporibus olim morte affectis et unice qualitatibus gloriosis ab eis different, ita etiam cœlum novum et terra nova cum pristinis identica sint et unice qualitatibus gloriosis ab eis sint diversa. — Insuper haud minus liquet, summe etiam conveniens esse, ut hæc eadem terra, e qua formata sunt corpora Sanctorum, necnon ipsum corpus Verbi incarnati, Filii Dei, et super quam ipse ambulavit et vixit, passus et mortuus est, necnon innumera misericordiæ et gratiæ divinæ opera sunt peracta, hujus gloriæ Filii Dei naturalis et filiorum ejus adoptivorum fiat particeps, cum tam intime cum eis sit connexa atque sociata.

§ III.

Q. Qualis erit conditio cœli novi et terræ novæ?

R. *Erit conditio paradisi terrestris ad plenam suam perfectionem evoluta atque immutabilitate immortalitateque donata.*

—

I. Explicatio. Paradisus terrestris jam erat donis præternaturalibus donatus, haud secus ac corpus hominis innocentis. Verum hæc ejus dona non erant ad perfectionem suam deducta neque immutabilia aut perpetua, sicut nec illæ dotes hominis; quia tunc existebat status viæ, quocum plena perfectio pugnat. In statu vero termini hæc dona erunt perficienda atque immutabilitate immortalitateque decoranda. Jamvero dicimus hæc dona paradisi, dotibus status termini aucta, sortem esse cœli novi terræque novæ.

II. Gradus certitudinis. Hæc assertio videtur dicenda *theologice certa,* utpote communi consensu e fidei fontibus deducta.

III. Demonstratio : 1° *e S. Scriptura. a)* Uti constat e S. Paulo Rom. VIII, entia irrationalia propter hominis peccatum paradisi dotibus sunt spoliata et corruptioni subjecta, sed cum ea spe, quod amissa sua bona eodem tempore et eadem in mensura recuperarent, ac homo gloriam in corpore rursus acciperet. Dicitur nempe v. 20 : « *Qui subjecit eam in spe, quia* » *et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, *in* » *libertatem gloriæ filiorum Dei.* » Jamvero dona, quæ homo post sæculi consummationem est accepturus, sunt ipsa dona quæ habuit in paradiso, sed plene evoluta atque immortalitate et immutabilitate aucta; erga et conditio entium irrationabilium erit illa quam in paradiso habuerunt, sed plene evoluta atque perpetuitate donata.

b) Idem docetur a S. Petro II Ep. III, 13 : « *Novos cœlos et*

« *novam terram... exspectamus, in quibus justitia habitat.* » In hoc enim textu locutio, *in quibus justitia habitat*, conditionem novi cœli novæque terræ exprimit. Jamvero *justitia*, de qua hic agitur, est status justitiæ originalis omnibus suis donis ad naturam irrationalem pertinentibus stipatus et ad plenam suam perfectionem pro statu termini perductus; nam opponitur hæc justitia præsenti mundi conditioni, in qua effectibus peccati adhuc subjacet; et ex subjecta materia liquet hic agi de justitia status termini. Ergo.

Notetur S. Petrum clare indicare, quod Sancti post resurrectionem hoc mundo glorificato fruituri sunt et in eo conversaturi, quando dicit : « *novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus;* » hæc enim *exspectatio* certo denotat futuram fruitionem. Dein adhuc clarius id exprimit per sequentia v. 14 : « *propter quod, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei* (Domino judici) *inveniri in pace* (existentes in gratia). »

c) Gloriosa, quam diximus, mundi innovati conditio adhuc apertius declaratur a S. Joanne Apoc. XXI. Ibi enim exponit, quod conditio cœli novi et terræ novæ ipsi divinitus manifestata est sub imagine civitatis non naturali potentia sed a Deo formatæ, et dotibus ornatæ, quibus plene digna sit ut Verbum incarnatum et Sancti cum corpore suo glorificato in ipsa perpetuo inhabitent. Seposita igitur imagine, ex hoc loco docemur cœlum novum et terram novam ornanda esse dotibus, quæ naturæ vires superant et a Deo solo possunt tribui, et quæ plene correspondent cum gloria humanitatis Christi et corporum Sanctorum. — Paucis aliquot versus hujus capitis sunt exponendi. In v. 1 legitur : « *Vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est.* » Hisce verbis dicit Joannes se visionem habuisse, in qua, postquam in præcedenti visione mundi deletionem viderat, jam videbat hujus mundi instaurationem. In v. 2, autem decla-

rat quid viderit de nova illa mundi forma : « *Et ego Joannes*, ait, *vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* » Nova igitur mundi forma exhibita fuit Joanni sub imagine civitatis (quæ nova Jerusalem vocatur), quæ *descendebat de cœlo a Deo*, i. e. quæ non erat naturæ viribus sed Dei potentia constructa, ac proinde divinis dotibus instructa, et quæ *parata erat, sicut sponsa ornata viro suo*, h. e. quæ summo in gradu istis dotibus erat instructa, nam sponsa ad accedendum ad virum suum pretiosissimis, quibus potest, vestibus se ornat. In v. 3 legitur : « *Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*. v. 4. *Et absterget Deus omnem lacrymam...* » Hac voce cœlesti edoctus est S. Joannes hanc civitatem, quam viderat de cœlo descendere, esse imaginem tabernaculi seu domicilii Dei simul habitantis cum hominibus sanctis, quod ab omni miseria esset immune. Per nomen autem *Dei* debet hic intelligi Verbum incarnatum, nam v. 9, hæc civitas vocatur *sponsa, uxor Agni*. Dein in v. 5, et 7, habetur : *Et dixit, qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia... Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius*. Post hanc vocem cœlestem audit nunc Joannes ipsum Deum sibi etiam explicantem, quid sit illa civitas, quam vidit a cœlo descendere, et sermonem, mox e cœlo auditum, confirmantem. Dicit nempe Deus : ea quæ vides sunt imago mundi innovati; innovabo cœlum et terram totamque mundi conditionem;... qui autem sancte vixerit, possidebit post resurrectionem suam hunc mundum innovatum, in quo simul cum ipso habitabo sicut pater cum filio. — Post hunc autem Dei sermonem, uti dicitur v. 9 et 10, sublatus est Joannes ab angelo in altum montem, ut inde perfecte contemplari posset hanc symbolicam civitatem, quam vidit de cœlo descendere; inde

hanc civitatem contemplatus est; et ea omnia, quæ in ipsa vidit, in sequentibus versibus describit. Liquet vero hanc totam descriptionem symbolice esse interpretandam de splendore, gloria, immortalitate et ab omni malo immunitate mundi innovati, cum ista civitas sit hujus mundi imago, uti constat e primis præsentis capitis versibus. Speciali tamen animadversione dignus est v. 22, in quo legitur : « *Templum non* » *vidi in ea (civitate); Dominus enim Deus omnipotens* » *templum illius est, et Agnus ;* » quibus significatur in mundo novo non fore templum, seu locum specialem ad Deum colendum; quia nimirum præsentia Dei intuitive per animam Sanctorum visi et gloriosæ humanitatis Christi oculo corporali contemplatæ effectura est, ut totus ille mundus sit templum, seu ad Dei cultum immediate inserviat.

Ex hoc loco Apocalypsis etiam liquet Sanctos post resurrectionem fruituros esse mundo renovato et in eo cum Christo conversaturos. — Notetur etiam ea omnia, quæ hic docet S. Joannes, jam fuisse annuntiata per Isaiam LXV, 17 et seqq. : « *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam; et non erunt* » *in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gau-* » *debitis et exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego* » *creo : quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, et popu-* » *lum ejus gaudium. Et exultabo in Jerusalem, et gaudebo* » *in populo meo : et non audietur in ea ultra vox fletus et* » *vox clamoris*. Etc. »

2° *e Traditione*. In Patribus pulcherrima hac de re invenimus testimonia. Ita S. Basilius *Hom*. 1, *in Hexæm*. n. 4, dicit : « Neque in animum sibi induxerunt, mundum necessario mutatum iri, si et animarum status ad aliam vitæ rationem sit » transiturus. Quemadmodum enim præsens vita naturam huic » mundo affinem habebat, ita etiam futura animarum nostrarum » vivendi ratio sortem exceptura est suo statui convenientem. » Pariter S. Gregorius Nyss. *De Opif*. hom. c. 22 : « Præstituit

» (Deus) ut... hujus (humani generis) procreatione (generatione) » absoluta, temporis etiam continuatio exspiraret (tempus status » viæ exspiraret) : sequente porro rerum instauratione, et » mutatione universitatis, cum qua hominis conjuncta esset » conversio, de natura interitui obnoxia terrenaque, in quam- » dam morborum expertem et immortalem. »

3° *e ratione theologica*. S. Thomas *Suppl*. Q. 91; a. 1, hanc rationem proponit : « Habitatio debet habitatori congruere. Sed » mundus factus est ut sit habitatio hominis. Ergo debet homini » congruere. Sed homo innovabitur, ergo et similiter mundus. » Et ad complementum potest addi : homo innovabitur accipiendo ea omnia quæ ad statum termini in supernaturali ordine pertinent, ergo et mundus innovandus est bona ejusdem conditionis accipiendo.

Quomodo autem mundus homini inserviat in hac vita et in altera sit inserviturus, ita explicat S. Thomas in eodem loco : « Respondeo, ait, dicendum quod omnia corporalia propter » hominem facta esse creduntur, unde et omnia dicuntur ei » subjecta. Serviunt autem homini dupliciter : uno modo ad » sustentationem corporalis vitæ, alio modo ad profectum cogni- » tionis divinæ; in quantum homo per ea quæ facta sunt, invisi- » bilia Dei conspicit, ut dicitur *Rom*. I. Primo igitur ministerio » creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit; cum ejus » corpus sit futurum omnino incorruptibile, divina virtute id » faciente per animam, quam immediate glorificat. Secundo » etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem » intellectivam, quia tali cognitione Deum Sancti videbunt imme- » diate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiæ oculus » carnis attingere non poterit; et ideo ut ei etiam solatium » congruens de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinita- » tem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia » divinæ majestatis apparebunt, et præcipue in carne Christi, » et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus

» aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam illa corpora majo-» rem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc; non » tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriæ per-» fectionem; et hæc erit mundi renovatio. Unde simul mundus » innovabitur, et homo glorificabitur. »

— Similia habet S. Bonaventura, *Comp. Theol.* L. 7, c. 20 : « Mundus factus est, ut homo nunc per speculum creaturæ » cognosceret, quem in sua natura videre non potuit. Unde in » futuro sæculo oportet speculum meliorari et purgari, ut in » pulchritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris. » — Sicut elementa infecta sunt propter peccatum hominis, ita » dignum est ut mundus innovetur propter glorificationem » hominis. »

IV. Quæstiones subsidiariæ circa mundi innovationem.

Q. I. *An cœlum sidereum etiam innovabitur?*

R. Quamvis sol, luna et stellæ igne non sint comburenda, videntur tamen innovanda et supernaturalem gloriam acceptura. Id enim omnino consentaneum videtur cum sapientia divina, quæ omnia creata propter hominem fecit; ac proinde singulis entibus conditionem debet tribuere cum conditione hominis concordantem.

Q. II. *An omnia entia, etiam plantæ et animalia, quæ nunc sunt in mundo, existent quoque in mundo innovato?*

R. S. Thomas et post ipsum multi theologi putant in mundo innovato sola remanere corpora cœlestia, elementa terræ et homines; plantas autem et animalia in eo non haberi. Et ratio eorum est, quod plantæ et animalia de se corruptibilia sunt, et in mundo renovato inutilia. Possent nempe esse necessaria vel ut complementum universi, vel ut sustentaculum hominis; sed, aiunt, neutrum hic locum obtinet : non requiruntur ad complementum universi, quia essentialia ipsorum in mundi elementis et in homine habentur; neque etiam requiruntur ut hominis sustentaculum, quia ipse cibo, potu aut vestitu amplius non eget.

Auctor vero anonymus in publicatione periodica « *der Katholic* » 1877, II, 135-158 censet præferendam esse sententiam affirmantem, cum ea videatur melius cohærere cum Scriptura et Patribus, qui clare loquuntur de restauratione *totius universi*, *omnis creaturæ* (Rom. VIII), ad quod certe et quidem primarie spectant plantæ et animalia; et insuper difficultates a scholæ theologis contra hanc sententiam allatæ sufficienter solvi possint. — Hæc autem sententia nullatenus est contemnenda; nam certe S. Paulus in loco citato Epist. ad Rom. loquitur de *omni creatura*, et nemo negare potest inter creaturas irrationales primum locum a plantis et a bestiis teneri. Dein argumenta S. Thomæ non sunt omnino firma. Dicit nempe plantas et bestias in se corruptionem ferre, sed idem valet de humano corpore et de terræ elementis, et per Dei operationem hæc corruptibilitas auferri potest. Dicit dein ipsas necessarias non esse ad complementum universi; sed hoc negari potest : per ipsas perfecta entium series habetur in creatione; scilicet materia vita carens, planta quæ habet vitam vegetativam, bestia quæ habet vitam vegetativam et sensitivam, homo qui habet vitam vegetativam, sensitivam et intellectivam : quæ series mutilaretur ablatis plantis et bestiis. Tandem dicit eas non esse homini necessarias; sed respondetur, eas quidem non esse necessarias ad hominis sustentationem physicam, verum optime inservire ad divinam perfectionem homini in effectibus corporalibus manifestandam; et certe magis ad hoc conducunt, quam elementa vita carentia, cum res vivens re vita carente de se sit perfectior.

§ IV.

Q. QUANDONAM FIET MUNDI DESTRUCTIO EJUSQUE RENOVATIO?

R. *Hoc tempus nobis est omnino ignotum. Ex revelatione cognoscimus quidem quædam signa, quæ finem mundi præcessura sunt; sed quantum temporis spatium inter hæc signa et mundi finem intercessurum sit ex ipsa non inno-*

tescit. Signa autem, quæ præcedent, sunt : prædicatio evangelii in universo mundo; Judæorum conversio; adventus Antichristi, quo nomine intelligenda est determinata persona Christo maxime adversa; adventus Henoch et Eliæ; magna apostasia a fide, et tandem magna naturæ perturbatio.

—

I. Gradus certitudinis. Quod tempus finis mundi nobis est ignotum, dicendum est *theologice certum;* quod singula signa mox enuntiata finem mundi præcedent, est ut *certum* tenendum.

II. Demonstratur mundi finem nobis esse ignotum. Id certo colligitur e verbis Christi Matth. XXIV, 36 : « *De die* » *autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi* » *solus Pater.* » Nec quis suspicetur ex hoc textu tantum sequi, quod dies et hora finis mundi sunt incerta, non vero quod tempus hujus consummationis, ut annus, lustrum, sæculum cognosci a nobis non potest; nam notum est *diem et horam* juxta Scripturæ loquendi modum positum esse pro *tempore.* Nec huic incertitudini obstant signa, quæ secundum revelationis doctrinam finem mundi præcedent; nam illa significabunt quidem finem appropinquare, sed non quam propinquus sit, vel quodnam sit ejus tempus determinatum; uti constat ex verbis Christi mox citatis, necnon ex 1 Thessal. V, 2, 3, ubi docetur finem venturum inopinate, ubi peccatores « *dixerint : pax et securitas;* » et ex Matth. XXIV, 39, ubi Dominus dicit finem mundi tam inopinate venturum ac venit diluvium : « *et non* » *cognoverunt,* ait, *donec venit diluvium et tulit omnes : ita* » *erit et adventus Filii hominis.* »

Notetur Leonem X, in *conc. Later.* V vetuisse, ne quis de tempore finis mundi auderet aliquid pro certo asserere. « Tempus, ait, » præfixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut » certum diem judicii prædicare vel asserere, nequaquam præ- » sumant, cum Veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora

» vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate : ipsos, qui » hactenus similia asserere ausi sunt, mentitos, ac eorum causa » reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum » detractum fuisse constat. »

III. Demonstratur fidem ante mundi finem ubique esse prædicandam.

Id aperte constat e verbis Christi apud Matth. XXIV, 14 : « *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in* » *testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consum-* » *matio.* » — Notetur ex his verbis concludi non posse, quod impleta ista in universo orbe prædicatione, statim consummatio est ventura; nam, ubi bene dicit S. Augustinus Ep. 78 : « *tunc* » *veniet quid est, nisi : ante non veniet? Quando ergo post* » *veniat, incertum nobis est; ante tamen non esse venturum,* » *dubitare utique non debemus.* » — Notetur etiam ex hisce verbis concludi non posse, omnes gentes plene ad fidem esse convertendas, sed unice in omnibus gentibus fidem esse prædicandam. Verumtamen in omnibus gentibus futuri sunt saltem tot fideles, ut Ecclesiam in eis vere exstitisse dici possit; nam S. Paulus ad Rom. XI, 25, declarat : « *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret;* » h. e. infidelitas, quæ in parte judaici populi nunc viget, duratura est ad illud usque tempus, quo gentium universitas in Ecclesiam intraverit.

IV. Demonstratur judaicam nationem ante finem mundi ad fidem esse convertendam. Id docet S. Paulus in textu mox citato : « *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo* » *gentium intraret; et sic omnis Israel salvus fieret.* » In hisce verbis S. Paulus, ad retundendum fastum fidelium e gentilismo conversorum, qui Judæos despiciebant, quasi penitus e Messiana salute essent exclusi, docet certe futurum esse, ut pars judaicæ gentis, quæ nunc incredula est (quæ longe major est pars hujus gentis), tandem se converteret; et sic natio judaica universa Messianam salutem participaret. — Notetur tamen non

significari quod omnino omnes Judæi aliquando se convertent; potest enim tota natio dici ad fidem conversa, quin tamen omnes hujus nationis personæ sint conversæ. — Notetur etiam audiendos non esse, qui objiciunt, quod in citato textu non agitur de gente Israëlitica, sed de Israële metaphorico, scilicet de cœtu fidelium ex Judæis et Gentilibus collectorum; etenim oppositio inter Israëlem et plenitudinem gentium satis ostendit hic sermonem fieri de natione judaica stricte dicta.

V. Demonstratur ante finem mundi venturum esse Antichristum, per quem est intelligenda determinata persona Christo maxime adversa. Id inprimis colligimus ex II. Thess. II, 1-10 : « *Rogamus autem, vos fratres,.... ut non cito mo-* » *veamini... neque terreamini.... quasi instet dies Domini.* » *Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit dis-* » *cessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius* » *perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod* » *dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat* » *ostendens se tanquam sit Deus..... Et tunc revelabitur ille* » *iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris ejus,* » *et destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adven-* » *tus secundum operationem satanæ, in omni virtute et signis* » *et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis* » *iis qui pereunt.* » Etenim in hisce verbis aperte prænuntiatur venturum esse ante finem mundi hominem maxime iniquum et acerrimum Ecclesiæ Christi hostem, quem Antichristum vocamus. Voces enim *homo peccati, filius perditionis, ille iniquus* certe significant personam certam, singularem et determinatam, non vero impios in genere; eo vel maxime quod in græco textu ipsis præponitur articulus, quo significatio vocum ad unam certam rem exprimendam contrahitur. Opponi quidem posset, in citato loco v. 7 de Antichristo referri, quod *mysterium jam operatur iniquitatis*; ac proinde totum hunc locum esse intelligendum de hostibus, qui tempore Pauli Ecclesiam impugna-

bant. Verum respondetur, verbum *operatur* in hoc versu sensu passivo esse intelligendum, uti e Græco liquet, et sensum proinde esse, quod iniquitas Antichristi jam tunc occulte velut in mysterio agebatur et exercebatur per ipsius antecessores.

Idem etiam colligimus ex I Joan. II, 18 : « *Audistis, quia » Antichristus venit : et nunc Antichristi multi facti sunt.* » In textu græco ponitur articulus ante *Antichristus*, non vero ante *Antichristi;* ac proinde per *Antichristum* significatur singularis Christi adversarius; per *Antichristos* autem significantur indefinite hæretici, qui ob actionum suarum cum actionibus Antichristi postea venturi similitudinem etiam *Antichristi* vocantur. Clare liquet in hac sententia Antichristo proprie dicto opponi Antichristos improprie dictos; ac proinde ex doctrina S. Joannis constat venturum esse Antichristum, et hunc Antichristum esse personam determinatam, non vero impios in genere. — Quidam autem objiciunt : S. Joannes, ex eo quod suo tempore jam erant Antichristi, demonstrat novissimam horam seu ætatem advenisse, cum ita nempe impleretur prophetia illa : in novissima ætate Antichristus venit. Ergo, aiunt, si reputat prophetiam illam per Antichristos sui temporis impleri, non supponit postea venturum esse determinatum Antichristum; ac proinde ruit demonstratio ex hoc textu desumpta. Verum respondetur hanc demonstrationem, a S. Joanne factam, haud requirere ut Antichristus prædictus jam tunc venerit, sed plene ad eam sufficere, ut tunc jam existerent Antichristi præcursores. Etenim ad hanc ætatem, in qua existunt Antichristi præcursores, pertinet certe ipse Antichristus; ac proinde ex præsentia istorum præcursorum recte concludi poterat jam hanc ultimam incepisse ætatem, ad quam, juxta prophetias, Antichristus pertinet. — Opponitur etiam in eadem Epistola IV, 3, a S. Joanne dici : « *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est : et » hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc » jam est in mundo.* » Verum, sensus horum verborum est :

omnis doctrina, quæ dicit duas personas esse in Jesu (solvere Jesum), ex Deo non est : et hæc est doctrina Antichristi (uti in græco habetur), de quo audistis quod in mundum venturus est, et nunc jam est in mundo per præcursores suos. Illud « *jam est* » *in mundo* » potest certe intelligi de Antichristi præcursoribus, et idcirco adversarii nihil ex hoc textu contra nos deducere possunt.

Quod attinet ad qualitates Antichristi, ex textibus Scripturæ citatis liquet ipsum fore hominem pessimum, qui in novissimis diebus exsurget, dicens se esse Messiam, et exhibens se tamquam Deum. Terribilem contra Ecclesiam excitabit persecutionem, multaque prodigia et signa mendacia faciet, ad confirmandam falsam suam doctrinam.

De ortu et patria ejus, deque ejus potestate nihil certi habemus. Opinantur aliqui eum fore Judæum ex tribu Dan, et per tres annos cum dimidio magno potiturum esse imperio, cujus sedes esset Jerusalem; verum argumenta, quæ proferunt, sunt valde infirma.

VI. Demonstratur ante finem mundi venturos esse Henoch et Eliam. Inprimis certo constat Henoch et Eliam adhuc vivere. De Henoch id patet ex Gen. V, ubi, cum de reliquis omnibus dicatur « *et mortuus est,* » de illo dicitur « *ambu-* » *lavit cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus.* » Dein legitur Eccles. XLIV, 16 : « *Henoch placuit Deo, et trans-* » *latus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam;* » et ad Hebr. XI, 5 : « *Fide Henoch translatus est ne videret* » *mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* » — De Elia idem probatur ex 4 Reg. II, 11 : « *Ascendit Elias* » *per turbinem in cœlum;* » et ex Eccles. XLVIII, 9 : « *Qui* » *(Elias) receptus est in turbine ignis, in curru equorum* » *igneorum.* »

Quod ipsi ante sæculi consummationem venturi sunt in mundum, clare etiam e Scripturis colligitur. Ita de Elia legitur

Malach. IV, 5 : « *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam,* » *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis;* » verba autem « *dies Domini magnus et horribilis* » indubie significant diem judicii ultimi, uti ex multis aliis locis constat. Pariter Christus dixit Matth. XVII, 11 : « *Elias quidem venturus est,* » *et restituet omnia.* » Hisce autem verbis confirmat Christus Judæorum fidem de venturo Elia ante adventum suum; et per Eliam certe hic non intelligit Joannem Baptistam, nam iste non amplius erat venturus, sed jam venerat : ergo intelligit illum Eliam quem dicimus ante secundum Domini adventum venturum. Subdit quidem Christus : « *Elias jam venit, et non cognoverunt* » *eum;* » verum hæc, uti liquet, metaphorice de Joanne Baptista sunt intelligenda, qui Elias dicitur ob ministerii et spiritus similitudinem. — Henoch etiam venturum esse in mundum constat ex Eccles. XLIV, ubi dicitur ipsum translatum esse *ut det gentibus pœnitentiam.*

Doctrina autem Patrum cum iis omnibus, quæ de Henoch et Elia e Scriptura collegimus, omnino concinit.

Si quæratur quale futurum sit munus Henoch et Eliæ, liquet ex textibus citatis, illud fore prædicare et propugnare fidem contra crescentem infidelitatem et apostasiam ab Antichristo excitatam.

VII. Demonstratur ante finem mundi magnam fore apostasiam. Id colligitur inprimis ex II Thess. II, 3 : « *Nisi venerit* » *discessio primum.* » Hæc autem discessio videtur certe intelligenda de recessu a fide catholica et ab obedientia Romanæ Ecclesiæ. Idem sequitur ex verbis Christi Luc. XVIII, 8 : *Filius* « *hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* » hac enim interrogatione sat ostenditur paucos tantum fidem habituros eo tempore, quo secundus Christi adventus fiet. Non quidem affirmatur fidem penitus esse extinguendam; sed ita raram fore, ut labore opus sit, ad aliquem fidelem inveniendum. (Cfr. Matth. XXIV, 12 et 24.)

VIII. Demonstratur ante finem mundi magnam futuram esse naturæ perturbationem. Id docemur expresse verbis Christi, Matth. XXIV, 29, 30 : « *Sol obscurabitur, et luna* » *non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes* » *cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii* » *hominis in cœlo et tunc plangent omnes tribus terræ;* » et Luc. XXI, 25, 26 : « *Erunt signa in sole, et luna et stellis, et in* » *terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et* » *fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspec-* » *tatione, quæ supervenient universo orbi; nam virtutes* » *cœlorum commovebuntur.* » Hisce autem verbis, manifeste indicatur in fine mundi insolitas atque terribiles commotiones in mundo futuras. — Notetur verba « *stellæ cadent de cœlo* » non exprimere quod stellæ vere cadent, sed quod saltem videbuntur cadere aut cecidisse de cœlo. Per *virtutes cœlorum* autem debet intelligi omnia corpora cœlestia eorumque vires. — Hæc naturæ commotio in fine mundi valde conveniens erit ad homines ex torpore excitandos et timore ad viam Domini reducendos, nam uti legitur Matth. XXIV, 24, *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Dein etiam conveniens erit ad præparandam magnam illam mundi destructionem, qua sæculum consummandum est.

IX. Nota. Quidam auctores cum S. Augustino putant mundi per ignem destructionem judicium ultimum secuturam esse; verum S. Thomas et major Theologorum pars opinantur eam locum esse habituram ante judicium ultimum; et hæc sententia videtur *verior*. Etenim, quamvis Scriptura rem non definiat, id tamen aliunde suaderi videtur. Omnes homines, uti diximus pag. 6, juxta veriorem sententiam debent mori; sèd quomodo morituri sunt, si mundi destructio futura sit post carnis resurrectionem? In nostra sententia morientur per ignem; in altera

autem supponendum est novum Dei miraculum ad mortem omnibus inferendam. Dein nonne conveniens est, ut destructio mundi simul cum morte totius humani generis locum habeat, atque simul innoventur et mundus et homines? Tandem novus mundus est habitatio Sanctorum; nonne conveniens ut habitatio hæc sit præparata, quando Dominus feret sententiam, qua hanc habitationem in mercedem concedet, et ita Sancti statim post sententiam latam potiri possint regno a Deo sibi collato?

CAPUT SECUNDUM

De Resurrectione Carnis

Prænotanda. I. Pro clariori hujus materiæ intelligentia, opportunum erit, prius definire, *quid sit resurrectio carnis*. Jamvero in hac quæstione, sicuti in multis aliis duplex definitio distinguenda est : alia minus perfecta, quæ ad fidem pertinet; alia perfectior, quæ tantum ad theologiam spectat.

a) Definitio minus perfecta ad fidem pertinens. In explicandis fidei documentis de resurrectione carnis nemo aliam definitionem, quin fidem offendat, potest dare ac sequentem vel æquivalentem : *Animæ cum eodem illo corpore, quod morte cecidit, iterata conjunctio.* Etenim hanc definitionem postulat evidens atque universaliter admissus verborum sensus : *resurrectio* nempe dicit *iteratam ejusdem rei, quæ cecidit, surrectionem;* et *caro* aperte significat *hominem secundum corpus consideratum :* ac proinde sensus hujus locutionis necessario est : *iterata surrectio hominis secundum corpus, qui secundum corpus ceciderat,* seu animæ post mortem superstitis cum eodem corpore, quod morte cecidit, iterata conjunctio. Jamvero in fidei documentis verba sane intelligi necessario debent juxta significationem suam evidentem et universaliter admis-

sam. Ergo. — Certo igitur constat, et nisi velimus in fide errare, tenere debemus, ad resurrectionem carnis non sufficere ut anima uniatur cum qualicumque corpore humano, sed requiri ut uniatur cum numerice eodem corpore, a quo morte fuit separata; nam resurrectio non est origo rei novæ, quæ nondum fuit, sed reinstauratio rei quæ jam fuit, verum corrupta est. — Hoc autem habito, inquirendum manet, qualis ad veram carnis resurrectionem requiratur identitas inter corpus resuscitatum et corpus, quod morte cecidit, ut corpus resuscitatum sit numerice idem illud corpus, quod morte cecidit. Verum hac de re nihil evidenter constat aut universaliter admittitur, neque etiam Ecclesia aliquid definivit; unde theologorum est eam dirimere, ac proinde saltem absque errore in fide hic licet aliam atque aliam sequi sententiam.

b) Definitio perfectior ad theologiam pertinens. Plenior definitio obtinenda hic est, declarando qualis identitas ad veram resurrectionem carnis requiratur inter corpus resuscitatum et corpus quod morte cecidit. Jamvero duæ habentur circa hanc quæstionem theologorum sententiæ :

Prima dicit *non quidem requiri identitatem numericam materiæ, qua corpus constituitur, sed aliud haberi et requiri identitatis principium.* In hoc autem alio principio declarando non conveniunt hujus sententiæ patroni : — alii, uti Durandus, contendunt illud consistere in perfecta similitudine figuræ, speciei et indolis corporis resuscitati cum corpore mortuo; ita ut ad resurrectionem carnis sufficeret, ut anima personæ defunctæ sibi efformet ex qualicumque materia corpus quoad figuram, speciem et indolem pristino suo corpori omnino simile : — alii, uti Bonnetus et multi recentiores, opinantur animam humanam germini cuidam subtiliori et immutabili conjunctam esse quod nunquam dissolvatur et nunquam ab ea nequidem per mortem separetur; et inde censent identitatem corporis in resurrectione consistere in identitate

hujus germinis : — alii recentiores tandem in homine præter animam et corpus admittunt principium aliquod simplex, quod virtutem formativam corporis dicunt; et opinantur hoc principium in morte separari quidem a corpore et ab anima, sed tamen non interire; et inde contendunt identitatem corporis ad resurrectionem requisitam in eo tantum consistere, quod numerice eadem illa virtus formativa rursus cum eadem anima uniatur.

Altera autem sententia dicit *requiri identitatem materiæ seu eamdem illam numerice materiam, quæ fuit in corpore tempore mortis*. Ita scholastici communiter.

Aperiendum nunc est *quid de utraque sententia sit judicandum*. Prior sententia rejicienda videtur : quod ita demonstratur. Inprimis, si hæc sententia cum explicatione Durandi admittitur, jam vera corporis resurrectio non amplius habetur. Etenim resurrectio dicit ejusdem rei quæ cecidit surrectionem, ac proinde supponit alicujus rei, quæ ceciderat, in pristinum statum mutationem. Unde ut corpus mortuum possit dici vere resurrexisse, oportet ut hoc idem numero corpus, quod mortuum erat, mutationem subeat qua rursus in pristinum suum statum restituatur. Jamvero juxta Durandum corpus mortuum non subit hujusmodi mutationem, sed aliud numerice corpus formatur et priori substituitur. Ergo, ea explicatione admissa, jam non habetur corporis resurrectio, sed novi corporis productio. Liquet igitur priorem sententiam juxta Durandum intellectam admitti non posse. Opponi solet ad identitatem corporum requiri non posse identitatem materiæ, cum corpus nostrum in vita terrestri certe numerice unum maneat, et tamen identitatem materiæ non servet, cum constanter alias materiæ partes deperdat, alias vero sibi assimilet, et juxta præcipuorum physiologorum doctrinam post certum tempus totaliter quoad materiam suam sit renovatum. Verum respondetur, ex illa identitatis corporis humani mediis in materiæ fluctuationibus conserva-

tione nihil in suum favorem concludere posse adversarios, cum per istas fluctuationes materiæ identitas non auferatur. Etenim per eas singulis vicibus renovantur partes accidentales tantum, nunquam vero tota materia vel essentialis ejus pars; et ita, ut liquet, nunquam materiæ identitas cessat. Instatur dicendo, post certum tempus (post spatium nempe 3 et ad summum 7 annorum) totam pristinam materiam esse renovatam; ac proinde identitatem amplius non existere inter materiam quæ post hoc tempus habetur, et illam quæ ante illud in corpore erat. Atvero facile id refellitur : dicimus quidem ad identitatem corporis requiri identitatem materiæ; sed hoc non significat, quod semper una et eadem materia debet absque renovatione permanere, verum hoc solum quod nempe materia, quæ hoc momento in corpore habetur, quoad essentiales partes una et eadem esse debet, ac illa, quæ præcedenti existentiæ momento ei inerat. Ubi enim id habetur, necessario corpus manet identicum, cum de momento in momentum identitatem suam servet. Jamvero talis materiæ de momento in momentum identitas certe obtinetur in corpore nostro durante vita mortali, quia, quamvis constanter aliæ partes materiæ ab ipso amittantur aliæque ipsi approprientur, tamen hæ partes non sunt nisi accidentales. In resurrectione autem juxta Durandi explicationem intellecta, non haberetur illa materiæ identitas, quia juxta ejus sententiam corpus resuscitatum constitui non debet ex materia corporis ultimo vitæ momento existentis, ex materia nempe corporis, prouti erat tempore mortis. — Quod nunc ad secundam et ad tertiam prioris sententiæ explicationem attinet, istæ admitti nullatenus possunt, cum juxta doctrinam Ecclesiæ, quæ in Conc. Viennensi docet, *animam intellectivam seu rationalem corpus vere per se et essentialiter informare*, non liceat in homine admittere aliud formativum corporis principium ac ipsam animam.

Altera autem sententia omnino tenenda videtur, uti jam liquet ex præcedentibus. Quod enim ad veram corporis humani resur-

rectionem requiritur materiæ identitas, fluit ex ipsa resurrectionis essentia, quæ, uti vidimus, consistit in ejusdem rei, quæ cecidit, surrectione; ac proinde supponit eamdem materiam, quæ formam suam amisit, rursus eam accipere. Ergo ut corpus humanum, quod sua ab anima separatione formam suam amisit seu cessavit esse corpus humanum, vere resurgat, oportet ut illa ipsa materia corporis, quod ab anima est separatum et ita formam suam amisit, rursus cum anima uniatur et ita rursus formam humani corporis accipiat. Debet autem, uti supra dictum est et evidenter liquet, cum eadem anima uniri, quacum antea unita fuerat, quia secus *idem homo* non resurgeret. — Quod autem requiritur in corpore resuscitato materia illa, quæ fuit in corpore mortuo tempore mortis, ex eo liquet, quod ad resurrectionem requiritur, ut id ipsum, quod cecidit, vere surgat. Jamvero illa materia cecidit seu cessavit esse corpus humanum, quæ tempore mortis homini inerat; ergo illa debet surgere seu rursus fieri corpus humanum. —

Quæri hic potest, quomodo tota illa materia, quæ in corpore erat morientis, possit singulis restitui, cum, secundum ordinarium rerum eventum sæpe una eademque materia successive in pluribus corporibus morientibus futura sit. Sed haud ardua est solutio. Materia enim prima non est ex seipsa (h. e. sine forma substantiali) neque *quid*, neque *quale*, neque *quantum;* ac proinde moveri hic non potest quæstio, quomodo una eademque numero materiæ quantitas *pluribus tota* restitui possit, cum *tota singulis* restitui deberet. Quantitas enim oritur ex forma substantiali ad hanc materiam primam accedente; hic autem agitur de materia, separata a forma sua substantiali. Ergo si centum vel mille corpora morientia successive ex eadem numero materia constiterint, nihil obstat, quominus singula in sua una eademque numero materia resurgant : sufficit ista materia ad tot corpora efformanda, modo formæ substantiales scilicet animæ ei hujusmodi quantitatem subministrent. — Nulla habe-

tur difficultas, si *cadaver* resuscitandum sit, sicuti factum est in Christo, in Lazaro etc. : tota materia prima, ab anima humana in morte separata, quæ nunc formam cadaveris habet, est rursus in corpus humanum hic et nunc reformanda. Sed non major erit difficultas, ubi nostra *in fine mundi* resuscitanda erunt corpora, quorum materia successive transierit in innumera corpora; nam una eademque numero materia, cum quantitatem non habeat, sufficiens erit, ut innumeris restituatur corporibus tota et integra. — Observetur hic non doceri corpora resuscitanda esse cum omnibus accidentalibus, quas in morte habebat, partibus, uti cum singulis suis capillis, etc., sed totum corpus essentiale et integrum resuscitandum esse in sua pristina materia prima.

II. Animadvertatur recte dici *resurrectionem carnis* loco *resurrectionis mortuorum*, quia hac locutione expresse indicatur hominem unice quoad corpus resurgere, cum quoad corpus solum sit mortuus. — Attamen recte etiam dicitur totus homo resurgere, quia per animæ cum eodem numerice corpore unionem reviviscit illa persona humana, quæ morte ceciderat.

III. De dogmate resurrectionis carnis sequentia, uti per se patet, sunt investiganda : 1° An resurrectio carnis vere fiet? 2° Quinam resurgent? 3° Qualis erit conditio corporum resuscitatorum sub respectu integritatis naturæ suæ? 4° An et quibus specialibus dotibus ornata erunt corpora Beatorum?

§ I.

Q. An resurrectio carnis vere fiet?

R. *In fine mundi fiet resurrectio mortuorum, qua homines resurgent cum corporibus, quæ nunc gestant.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *de fide*, uti constat e symbolo Apostolorum in quo credimus *carnis resurrectionem*; e symbolo Constantinopolitano, in quo legitur : *exspecto resur-*

rectionem mortuorum, et e symbolo S. Athanasii in quo habetur : *ad cujus (Christi) adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

II. Errores. Uti notat S. Augustinus *(Enarr.* Ps. 47), nullum habetur dogma, quod tantopere fuerit expugnatum ac dogma de resurrectione carnis. Philosophos gentiles omnes eam negasse, testatur Tertullianus *(De Præscr.* c. 7) dicens : « Ut carnis re-» surrectio negetur, de omnium philosophorum schola sumitur; » et confirmatur ex *Act. Ap.* XVII, 32 : *Cum audissent (Areo-» pagi Athenienses) resurrectionem mortuorum, quidam » quidem irridebant, quidam vero dixerunt : audiemus te » (Paulum) de hoc iterum.* » — Inter Judæos ipsos hoc dogma negabant Sadducæi *(Matth.* XXII, 23). — Etiam inter christianos Paulus (I Cor. XV, 12) graviter expostulat quosdam, qui resurrectionem negabant. — Recentiori ævo eumdem errorem tenuerunt Sociniani; et nostra ætate eum etiam tenent pseudophilosophi, Pantheistæ et Rationalistæ.

III. Demonstratio : 1° *e S. Scriptura. a)* Clare carnis resurrectionem docet Job. XIX, 23-26 : « *Quis mihi tribuat, ut » scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in » libro, stylo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in » silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novis-» simo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor » pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* » In Hebraico autem textu loco verborum *de terra surrecturus sum* legitur : *Postremus* (scilicet Redemptor) *super pulverem surget;* verum idem sensus habetur ac in vulgata. Locutio enim *surgere seu stare super aliquid*, uti ex multis aliis locis liquet, significat *consistere apud illud cum auctoritate et inspiciendi causa;* ac proinde sensus textus hebraici est : redemptor auctoritate sua utetur et curam exseret in cineres meos, et sane non alio modo ac eos ab interitu redimendo seu eos resuscitando. — Fidei autem inimici totum hunc locum exponere nituntur de spe,

quam, aiunt, nutriebat Job de recuperanda sanitate et de restitutione sua in pristinum felicem statum. At facile hæc interpretatio refellitur. Inprimis enim obstat magnifica introductio *quis mihi tribuat* etc; restitutio enim sanitatis et fortunæ tanti sane momenti non erat, ut tam solemni ratione memoria ejus conservaretur. Dein Job certam illam notitiam et firmam spem, quæ hic exprimit, de recuperanda sanitate et fortuna certe non habuit, cum v. 10 ejusdem capitis dicat : « *Destruxit me undique* » *(Deus) et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem* » *meam.* » Tandem contextus rem confirmat. Baldad enim, Jobum occultis delictis contaminatum putans (c. XVIII), graphice describit pessimam peccatoris mortem, et concludit v. 21 : « *Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui* » *ignorat Deum.* » Ad istum autem sermonem respondet Job se mortem non timere, sed ut certum habere, quod Deus sibi in altera vita non iratus vindex sed benignus redemptor erit, seque gloriosam resurrectionem et beatam Dei visionem firma cum fiducia exspectare.

b) Habemus circa hoc dogma explicitam Christi prædicationem ita Joan. V, 28, 29, legitur Christum Judæis dixisse : « *Nolite* » *mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monu-* » *mentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona* » *fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in* » *resurrectionem judicii.* » Resurrectio autem vitæ significat resurrectionem, cui conjuncta est merces vitæ æternæ, et resurrectio judicii illa est, cui conjungitur damnatio æterna.

c) S. Paulus (I *Cor.* XV.) hanc veritatem ex professo asserit; isto enim loco saltem octies affirmat mortuos esse resurrecturos, variis rationibus id demonstrat, ac in modum quo id fiet inquirit.

2° *e Traditione.* Ecclesiam semper in resurrectionem carnis credidisse, clare constat ex Patrum testimoniis. S. Ignatius M. *in Ep. ad Trallianos* dicit : « Christus vere resurrexit a mor- » tuis, resuscitante Ipsum Patre tanquam exemplar, juxta quod

„ et nos ipsos recte credentes resuscitabit in Jesu-Christo, „ sine quo veram vitam non habemus. „ S. Justinus *Apol.* I. n. 19 ita loquitur : „ Præter immortalitatem animæ etiam cor- „ porum resurrectionem futuram credimus, adeo ut dissoluta „ hominum corpora, et ad instar seminum in terra resoluta, „ Dei jussu certo tempore resurgent, et incorruptionem in- „ duent. „ Dein Tertullianus librum conscripsit *de resurrectione carnis*, in quo corporis humani dignitatem præclare vindicat, et veram carnis humanæ, quæ morte corrupta est, resurrectionem adstruit et solide probat.

3° *ex ratione theologica. a)* Anima ex sua natura destinata est ut sit corpori unita, ac proinde contra ejus naturæ perfectionem est, separatim a corpore existere. Jamvero nihil quod est contra naturæ perfectionem, potest esse perpetuum saltem in supernaturali ordine, in quo omnia ad summam perfectionem adducuntur. Anima ergo non erit perpetuo absque corpore, ac proinde mortui debent resurgere.

b) Ultimus finis noster est perfecta beatitudo in cœlis; sed hæc perfecta beatitudo obtineri non potest nisi anima rursus uniatur corpori quod morte amisit; ergo certo fiet resurrectio carnis. Quod autem ad perfectam beatitudinem requiritur nova animæ cum corpore unio, facile probatur : cui enim aliquid deest ad plenam naturæ suæ perfectionem, ille nondum habet felicitatem perfectam; quia adhuc habet rectum et rationabile desiderium, cui non est satisfactum. Jamvero animæ separatæ deest aliquid ad plenam naturæ ejus perfectionem, nam sine corpore est quodammodo imperfecta, sicut pars extra totum existens, cum sit pars naturæ humanæ. Ergo anima separata non habet perfectam felicitatem.

c) Æquitas sane postulat ut homo in iis naturæ suæ partibus puniatur vel mercedem accipiat, quibus peccavit vel bonum fecit. Jamvero homo non solum secundum animam sed etiam secundum corpus in hac vita peccat vel sancte vivit; ergo non

solum secundum animam sed etiam secundum corpus puniri vel mercedem accipere debet. Nunc autem homo in corpore suo durante hac vita nec punitur nec mercedem accipit; ergo requiritur ut rursus anima corpori uniatur, et ita homo tam secundum corpus quam secundum animam pœnam vel mercedem accipiat.

d) Si Adam non peccasset, in æternum anima mansisset cum corpore unita. Jamvero Christus Dominus per passionem suam delevit Adæ peccatum ejusque effectus; imo major est fructus Christi redemptionis quam ruina peccato Adæ illata. Ergo per Christi redemptionem rursus obtinuit homo jus ad immortalem illam vitam, quam Adæ peccato amiserat. Atvero Deus hoc donum immortalitatis secundum consilium sapientiæ suæ non confert in hac vita simul cum dono gratiæ sanctificantis (Cfr. *De Incarn.* p. 154), sed legem mortis pro statu viæ in suo vigore relinquit; requiritur ergo ut homines mortui resurgant, nam secus nunquam acciperent donum immortalitatis quod Christus Dominus eis promeruit.

IV. Objectio. Si ad carnis resurrectionem, aiunt adversarii, requiritur numerica corporis identitas, quemadmodum hæc vere requiri videtur, resurrectio nostra dicenda est impossibilis, siquidem attentis iis omnibus quæ circa corpora nostra fiunt, hæc identitas obtineri non potest; quod ita demonstrant. Sunt anthropophagi, aiunt, qui nempe humanis carnibus vescuntur : eadem ergo materia in pluribus hominibus successive erit : quomodo ergo poterit unusquisque *cum sua carne* resurgere? — Imo id ipsum in aliis etiam hominibus accidit. Vix enim corpus nostrum est mortuum, illico resolvitur in sua principia, quorum alia sunt aëris vapores, alia autem terra et aqua. Hisce autem nutriuntur vegetabilia, quibus aluntur animalia; nosque dum vegetabilibus et animantibus vescimur in nostram rursus convertimus substantiam ea ipsa principia, quæ substantiam constituerunt hominum antea defunctorum. Præterea etiam immediate in nostram substantiam per pulmonum haustum con-

vertimus aëris vapores, in quos corpora mortua sunt soluta. — Fieri ergo optime potest, ut una et eadem materia ad plurima pertinuerit corpora tempore mortis ipsorum; ac proinde singula non poterunt resurgere in numerice eadem illa materia, quam habuerunt in morte.

R. Tota hæc difficultas soluta fuit in iis quæ pag. 163 de materiæ identitate in corpore resuscitando dicta sunt. Ibi ostensum est, nihil obstare quominus centum millia corporum, quæ in morte successive eadem materia constarent, in sua numero identica materia resurgant. Ubi admissum et intellectum est, quod, uti in Tractatu de *Deo Creatore* p. 223-260 demonstratur, *materiæ quantitas* non ab ipsa materia sed a sua forma substantiali oritur, tota quæstio de identitate materiæ in corporibus resuscitandis prorsus fit liquida.

Notetur alias omnes objectiones quæ desumi solent ex difficultate restituendi unicuique suam materiam, nullius esse ponderis, cum haud arduum sit Deo, qui omnia novit, qui omnia potest efficere quæ vult, qui numeravit usque ad capillos capitis nostri (*Matth. X*, 30), hæc omnia efficere. Optime dicit S. Greg. Nyss. *Orat.* 3, *de Resurr.* « Posito quod Deus sit, qui faciat, » nihil dixeris esse, quod fieri non possit : neque tua cogitatione » percipi putes illius, qui comprehendi nequit, sapientiam. »

V. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *An et quomodo Sanctorum gloria augetur per corporum resurrectionem?*

R. *a)* Gaudium ipsorum *accidentale* majus erit tum extensive, quia erit et in anima et in corpore; tum intensive, quia ipsa anima magis gaudebit, quando videbit corpus suum gloriosum, quam nunc cum illud videt mortuum.

b) Gaudium *essentiale* etiam majus erit extensive, quia nunc est in sola anima; tunc autem redundabit in corpus, et efficiet ipsum corpus suo modo gloriosum. — An autem augendum sit etiam intensive, aliquatenus disputatur; attamen id videtur

certo negandum. Etenim si gaudium istud cresceret intensive, id accideret vel ratione objecti, cujus possessione constituitur beatitudo, vel ratione potentiæ Sanctorum ad illud possidendum. Jamvero id certe non accidit ratione objecti, quod est Deus, nam Deus semper idem est; neque etiam ratione potentiæ, nam anima in videndo Deo non pendet ullo modo a corpore, et proinde tam perfecta esse potest operatio ista videndi Deum in anima separata, quam in anima cum corpore unita.

Q. II. *An et quomodo damnatorum pœna augetur per corporum resurrectionem?*

R. Pœna ipsorum accidentalis, eodem modo et ob eamdem rationem ac gaudium accidentale Sanctorum, major erit tum intensive tum extensive.

Pariter major erit extensive pœna eorum essentialis, quia tunc afficiet et animam et corpus. Videtur tamen dicendum quod probabilius hæc pœna major non erit intensive; nam nulla ratio habetur ut putemus eam objective esse tunc augendam, neque aptior tunc erit anima ad patiendum, cum tota virtus sensitiva essentialiter non ad corpus sed ad animam pertineat. Ergo.

Q. III. *An resurrectio carnis etiam fuisset in statu naturæ puræ?*

R. S. Thomas, cum Sylvio et multis aliis, id negat, eo præcipue argumento nixus, quod hæc resurrectio naturæ viribus effici non possit, sed miraculosam Dei actionem postulet; jamvero, ait, talis actio ad statum naturæ puræ pertinere non potest. Ergo.

Alii autem multi affirmant; et hæc opinio certe est valde probabilis, nam pro ea stant plures ex rationibus theologicis supra ad resurrectionem carnis demonstrandam allatis et in hunc finem etiam a Patribus communiter adhibitis, qualia sunt : præmium et pœnam illi deberi qui bene egit vel peccavit, et proinde in homine deberi et animæ et corpori, quia ipse et per animam et per corpus recte egit vel peccavit; atque corpus

naturaliter debitum esse animæ, ac proinde in statu termini ab anima separari non posse, quia secus Deus, qui necessario et semper ordinem in omnibus servat, in perpetuum naturam humanam in defectuoso statu constitueret. — Opponitur quidem resurrectionem carnis in fidei documentis uti rem supernaturalem exhiberi; sed nihil inde contra hanc sententiam concludi potest, quia resurrectio carnis, qualis nunc fiet, est certe supernaturalis ex parte dotum, quas corpora Sanctorum accipient. — Neque etiam solida est ratio a prioris sententiæ defensoribus allata; nam nullatenus videtur id omne statui naturæ puræ denegandum esse, quod naturæ nostræ viribus effici non potest. Quis enim contendet, quod homo in conditione naturæ puræ versans, post statum viæ aliam non acciperet mercedem aut pœnam, ac illam, quæ e naturæ nostræ viribus produci potest? Status enim viæ est status incompletus, qui in statu termini est complendus; verum istud complementum, uti per se liquet, efficiendum non est per illas vires incompletas status viæ, utpote ad id incapaces, sed a Deo, qui, quemadmodum status viæ est auctor, ita et ejus complementi seu status termini auctor esse debet.

§ II.

Q. Quinam resurrecturi sunt?

R. *Tenendum est omnes mortuos tum justos tum impios resurrecturos esse.*

—

I. Explicatio responsi. Dicitur *omnes mortuos,* non vero *omnes homines,* quia, uti pag. 6, vidimus, quamvis probabilius sit omnes esse morituros, id tamen non est omnino certum; et idcirco plena cum certitudine dici non potest omnes homines esse resurrecturos.

Observandum etiam est exceptionem hic haberi pro B. M. Virgine, cujus animam simul cum corpore assumptam esse in

cœlum pie credit Ecclesia, omniumque Theologorum ita firmat consensus ut oppositum nefas sit asserere. — Quidam etiam putarunt excipiendos hic esse Sanctos, quorum corpora tempore mortis Christi resurrexerunt (Matth. XXVII, 52); verum communior et certior opinio tenet illos Sanctos tantum ad tempus aliquod resurrexisse et iterum corpus suum amisisse.

II. Gradus certitudinis. Quod omnes justi et etiam omnes iniqui, qui in vita sua ratione sunt usi, resurrecturi sunt, dicendum est *de fide,* utpote clare contentum in Ecclesiæ definitionibus et symbolis, et in fidei fontibus. Quoad infantes autem qui ante rationis usum moriuntur, certum quidem est et ipsos esse resurrecturos; attamen id dici non potest *de fide,* quia documenta Ecclesiæ et testimonia fontium fidei directe videntur loqui de solis adultis, qui de propriis suis actibus sunt judicandi.

III. Demonstratio : S. Scriptura clare id docet : quod enim omnes justi et omnes impii resurrecturi sunt, expresse continetur in verbis Christi Joan. V, 28, 29 : « *Nolite mirari hoc, quia venit » hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient » vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resur- » rectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem » judicii;* » et infantes quoque, qui ante rationis usum mortui sunt, resurrecturos esse, clare colligitur ex I Cor. XV, 54, et Apoc. XX, 12, ubi docetur *per carnis resurrectionem devictam esse mortem.* In hisce enim textibus mors, quæ per Adæ peccatum in mundum intravit, cogitatur ut persona imperium exercens super universum genus humanum. Jamvero dicitur quod hoc imperium mortis prorsus cessabit per carnis resurrectionem; ergo oportet concludere omnino omnes homines, etiam istos infantes, esse resurrecturos, quia secus non plene sed partialiter tantum destructum foret hoc imperium.

Patres idem docent : ita S. Augustinus, *Enchirid.* n. 84 dicit : « Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt homi-

» num atque nascentur et mortui sunt atque morientur, nullo » modo dubitare debet christianus. »

Rationes theologicæ, quibus supra resurrectio carnis est demonstrata, hic etiam valent.

IV. Objectio. In Ps. I, 5 dicitur : « *non resurgent impii in » judicio;* » ergo soli justi resurrecturi sunt.

R. Hisce in verbis non agitur de impiorum quoad carnem resurrectione, sed de modo quo se habebunt in judicio Domini, ac proinde falso ex eis contra nostram doctrinam arguitur. Postquam nempe psaltes in prioribus versibus felicem piorum sortem, tum metaphorice, eam comparando arbori pulcherrimæ et maxime frugiferæ, tum proprie, declarando quod maxima eis obtingit prosperitas (cogita prosperitatem temporalem pro veteri lege, quæ temporalia promittebat, et prosperitatem spiritualem pro lege nova) exposuit, nunc explicat impiorum sortem dicendo : « *non sic impii non sic; sed tamquam pulvis* (hebr. *gluma,* » kaf), *quem projicit ventus a facie terræ; ideo non resurgent » impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.* » Jamvero hujus sententiæ sequens est sensus : non hæc felicitas et prosperitas justorum obtinget impiis; verum eorum sors similis est sorti glumæ, quæ ab hero non sicut frumentum custoditur, sed ventis ab ipso derelinquitur : nam ubi Deus judicium exercebit, causa sua non stabunt sed condemnabuntur, et e cœtu justorum expellentur. — Tota igitur difficultas evanescit, si notetur sensum vocis *resurgere* hic non esse *resurgere secundum carnem*, sed *causa sua stare, causam suam sustinere.*

§ III.

Q. QUALI IN CONDITIONE RESURGENT HOMINES SUB RESPECTU INTEGRITATIS NATURÆ SUÆ?

R. *Omnes tum iniqui tum justi resurgent in suo sexu, in forma corporis sui temperamento propria et in perfecta*

hominis ætate. Insuper corpora saltem justorum tum quoad speciem externam, tum quoad membrorum evolutionem et staturæ magnitudinem erunt ab omni vitio immunia. An idem dicendum sit de corporibus damnatorum, controvertitur.

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio quoad duo priora puncta est *theologice certa;* utpote communi consensu Doctorum e fidei fontibus deducta.

II. Explicatio et demonstratio. *a)* Dicimus inprimis *omnes resurrecturos esse in suo sexu,* seu in corpore suo servaturos esse illa membra, quæ sexus diversitatem constituunt. Rationes autem sunt sequentes : 1° quod sexus diversitas essentialem humanæ naturæ notam constituit; et in statu termini, in quo res non destruitur sed completur, certe nulla essentialis nota auferri potest; 2° quod eadem persona, quæ morte cecidit, debet resurgere; sed ad determinationem personæ pertinet qualitas sexus; ergo; 3° quod utrique sexui multa opera bona et mala, et inde multa merita et demerita omnino sunt propria, nam alia officia implenda, aliæque difficultates superandæ pertinent ad viros, alia ad mulieres. Jamvero, quia merces et pœna plene operi correspondere debent, liquet hanc ipsam conditionem sexualem, quæ in operibus bonis et malis partem habuit, in statu gloriæ et pœnæ servandam esse; 4° quod S. Patres hanc doctrinam deducunt ex ipsis Christi verbis, Matth. XXII, 30 « *In resurrectione neque nubent* » *neque nubentur;* » in hæc enim sequentia scribit S. Hieronym. Epist. 27 : « Ubi dicitur non nubent, neque nubentur, » sexuum diversitas demonstratur; nemo enim de lapide et de » ligno dicit, non nubent et non nubentur, quia naturam nu- » bendi non habent; sed de iis, qui possunt nubere sed gratia » Christi et virtute non nubent. » Nec opponi potest, ex sexuum diversitate et ex nuditate quæ certe existet, pudorem Sanctorum esse offendendum et tentationes malas in eis esse excitandas.

Etenim sicut Adam et Eva in paradiso, quoadusque non peccaverant, de nuditate sua non erubescebant (Gen. II), et ex ea ad malum non excitabantur, ita et Sancti inde pudore non afficientur nec tentabuntur. Et ratio est, quod pudor ille tantum oritur, quando concupiscentia carnis in nobis regnat, h. e. quando appetitus sensitivus noster commovere potest et commovet membra sexualia præter et contra voluntatis imperium, qualiter nunc fit in vita nostra mortali : de misera illa conditione nobis cum brutis communi homo erubescit, et ideo horum membrorum nuditatem naturaliter fugit. Pariter et tentationes contra castitatem ex aspectu corporis nudi tantum nascuntur, ubi hæc concupiscentia nobis inest, seu quando appetitus sensitivus non omnino submissus est voluntati, et ita commotiones carnales in nobis excitat præter et contra voluntatis imperium. Jamvero in Sanctis hæc concupiscentia plene aberit; ac proinde ex visu membrorum sexualium nullatenus pudore afficientur neque excitabuntur ad peccandum, — Nec etiam quis putet damnatos delectationem inventuros impudicam, si sexus diversitas conservetur, nam, Deo id efficiente, incapaces erunt ut aliquam delectationem habeant, ac insuper tantis affligentur pœnis ut nequidem ad eam attendere possent; quemadmodum ex fidei doctrina de inferno constat.

b) Dicitur *omnes resurrecturos esse in forma corporis sui temperamento propria et in perfecta hominis ætate*; h. e. unumquemque servaturum esse hanc corporis formam quæ temperamento suo est propria, ac proinde non omnes eamdem formam esse habituros; et etiam uniuscujusque formam ad eum gradum evolutam fore, qui perfectæ hominis ætati (quæ solet esse circa annum trigesimum tertium) convenit. Ratio autem hujus assertionis est, quod ille idem homo, qui cecidit, debet resurgere; ergo oportet ut in resurrectione servet suam pristinam formam; et quidem debet obtinere formam suam in eo evolutionis gradu, qui perfectæ ætati convenit, quia post resur-

rectionem homo non amplius mutatur, ac proinde requiritur ut ab initio plenam corporis evolutionem habeat. Nec sane deceret ut homo in statu termini esset in forma infantili vel senili, quia status termini dicit de se statum completum, statum ubi ens plenam evolutionem suam habet. Præterea quoad Sanctos liquet intuitu perfectæ ipsorum beatitudinis omnino requiri ut in forma perfectæ ætatis resurgant.

c) Dicitur *Sanctos resurrecturos esse in forma ab omni vitio immuni*; et ratio est, quod Deus, sicut humanam naturam in paradiso absque defectu instituit, post ejus plenam per Christum reparationem, debet eam perfecte instaurare. Secus enim Christus haud plene hominem a lapsu liberasset. — Dein in statu perfectæ beatitudinis, qualis Sanctis obtingit, nullum naturale desiderium insatiatum manere potest; sed quid magis naturale est quam desiderare naturæ suæ perfectionem? Ergo.

d) Quoad damnatos alii scholastici hanc perfectionem corporis denegant; alii eam concedunt. Probabilius videtur et eos hanc perfectionem obtenturos, ut nempe hoc modo opus creationis a parte Dei sit plene perfectum. Nec perfectio ista pugnat cum statu pœnæ, quia quo perfectius est corpus, eo vehementius affligi potest.

III. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *An post resurrectionem manebunt operationes vitæ animalis?*

R. Negative; operationes enim istæ serviunt vel ad multiplicationem individuorum, ut generationis opus, vel ad restaurationem virium et corporis evolutionem, uti comestio et nutritio. Atqui post resurrectionem completus erit numerus individuorum et quilibet resurget in perfecta corporis quantitate, nec ulla fiet virium deperditio : ergo frustra adhuc existerent actus potentiæ generativæ et nutritivæ, qui ad vitam animalem pertinent. — Dein expresse excluduntur pro Sanctis functiones generativæ per verba Christi, *Matth.* XXII, 30 : « *In resurrectione neque*

» *nubent neque nubentur;* » et functiones animales quævis per verba S. Pauli I *Cor.* XV, 44 : « *Seminatur corpus animale,* » *surget corpus spiritale.* » — Nec opponi potest, Christum post resurrectionem suam manducasse cum Apostolis; nam id fecit non ex necessitate, sed ut resurrectionis suæ veritatem demonstraret. — Neque meliori jure opponi potest, in Scriptura sæpius dici, quod post resurrectionem alii comedent et bibent, alii autem esurient et sitient; nam hæc, uti patet, spiritualiter de plena saturitate bonorum in cœlis, et de summa miseria damnatorum intelligi possunt et quidem debent, uti ex textu S. Pauli mox citato constat.

Q. II. *An sensus in corpore resuscitato functiones suas habituri sunt, et quasnam?*

R. Affirmative; omnes vires sensitivæ operationes exercebunt; in damnatis exercebunt operationes afflictionem secum ferentes, in justis autem operationes delectationem huic statui convenientem producentes. Beati, aiunt scholastici, utentur sensibus ad delectationem secundum illa, quæ statui incorruptionis non repugnant; damnati vero in sensibus suis maxime affligentur. Et id quidem a justitia exigitur : Sancti enim, ob amorem virtutis, vexationes et mortificationes plurimas in sensibus perpessi sunt; et impii sensuum delectationes inordinate quærendo præcipue peccarunt; oportet ergo ut Sancti in hisce sensibus oblectamenta experiantur, damnati vero afflictionem. Dein anima non solum est rationalis, sed etiam sensitiva; ergo non solum debet puniri vel mercedem accipere in parte rationali sed etiam in parte sensitiva, quod fit perceptione objectorum sensibilium et delectatione vel pœna inde hausta.

Si quæratur quibusnam in objectis delectationem inventuri sint sensus Sanctorum, hæc affirmari possunt : visus fruetur aspectu corporis Christi, corporum Sanctorum et mundi innovati; auditus recreabitur laude vocali quam proferent Sancti de Deo, de Christo et de se invicem; probabile quoque est, odores sua-

vissimos ibi non defuturos, quibus olfactus delectabiliter afficietur; tactus tanget et palpabit objecta materialia, quæ uti perfectissima et varia, jucundissime hunc sensum afficient; tandem quoad gustum, ipse non afficietur sapore cibi et potus, qui amplius non erunt, sed, uti communiter scholastici docent, perpetuo quodam suavissimo humore.

Damnati contra in visu torquebuntur tenebris et aspectu rerum horrendarum; in auditu ululatu, querimoniis et exprobrationibus aliorum; in olfactu fetore et sulphure; in tactu igne; in gustu fame sitique et summa amaritudine.

Q. III. *Si functiones animales cessaturæ sunt, cur remanebunt in corpore membra ad ipsas inservientia?*

R. Remanebunt partim ne quid ad perfectionem naturæ humanæ desit; partim ad ornatum universi; partim etiam ut homo in eis gaudium vel dolorem sentiat, nam certe totus homo mercedem est accepturus vel puniendus, et idcirco etiam in hisce membris quæ ad generationem vel nutritionem pertinent, dulcissimam quietem experientur Sancti, acerbissimum autem dolorem damnati.

§ IV.

Q. An corpora Sanctorum specialibus ornabuntur dotibus; et quibusnam?

R. *Quatuor dotibus Sanctorum corpora ornabuntur : impassibilitate, subtilitate, agilitate et claritate.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio dicenda est *theologice certa,* utpote communi theologorum consensu e fidei fontibus deducta.

II. Explicatio. *a) Impassibilitas,* secundum communem sententiam et naturalem vocis sensum, in eo consistit quod corpora Sanctorum non solum non possunt mori, sed nec aliquid pati quod sibi molestum aut afflictivum esset. Unde si suppona-

mus quod ferrum, aqua, ignis, aliave naturalis potentia corpus gloriosum impeteret, ipsum inde lædi non posset.

b) Subtilitas ex omnium consensu certe in hoc consistit, quod corpus perfecte animæ subjicitur ad quamvis actionem, quam anima imperat, perficiendam, idque sine ulla concupiscentiæ reluctantia et sine ulla alimenti aut somni necessitate. Quidam scholastici ad hanc dotem etiam referunt potestatem penetrandi sine læsione alia corpora; verum S. Thomas cum multis aliis eam subtilitati denegat, quamvis concedat Sanctos eam habituros esse, quando voluerint, ex speciali operatione Dei in complementum et manifestationem dotis subtilitatis. — Quod autem hæc potestas ad subtilitatem non pertinet, ita demonstrant : supernaturales dotes, aiunt, non tollunt sed perficiunt naturam ; jamvero corpori naturaliter convenit quantitas dimensiva, qua ipsum ita in loco constituitur, ut in eodem simul non admittat aliud. Ergo. — Speciali Dei tamen operatione hanc potestatem alia corpora penetrandi haberi posse hac ratione stabiliunt : cum Deus possit rerum proprietates auferre, ac nihilominus res ipsas integras servare (quemadmodum in Eucharistia conservat accidens sine subjecto), nihil vetat, quominus quantitatem conservet, etiamsi ab illa auferat hanc proprietatem, secundum quam requirit situs ab alio distinctionem. Sic enim Christus ex utero clauso matris suæ, necnon e sepulchro clauso egressus est, et ad discipulos januis clausis est ingressus. — Per se liquet quod Sancti, si speciali Dei virtute, ubi id desiderant, quantitate sua dimensiva non impedientur quominus alia corpora penetrent, eadem supernaturali virtute efficere poterunt ut palpari aut videri non possint a corpore non glorioso. — Animadvertit S. Thomas non decere ut duo corpora gloriosa se penetrent, et ideo id futurum non esse.

Dos autem hic descripta vocatur *subtilitas* (subtilis, fijn, teeder), quia corpus maxime perficit illudque simile spiritui reddit; unde etiam vocatur *spiritalitas*. — Putarunt aliqui

antiqui corpus per subtilitatem fieri aëreum, sed id aperte pugnat cum fidei doctrina, quæ docet idem nostrum corpus resurgere, et non corpus alterius naturæ.

c) Agilitas in eo consistit, quod corpus ita animæ subjicitur, ut sine labore, lassitudine aut quacumque difficultate, et brevissimo seu veluti imperceptibili momento se movere possit ad quamlibet loci distantiam, quascumque corporeas operationes efficere et etiam aliena corpora movere. — Notetur quod agilitas, uti ex dictis patet, non excludit motum successivum, quia secus efficeret, ut idem corpus posset simul esse in duobus vel pluribus locis, quod nemo huic doti attribuit. — Dein, si agilis motus corporis est successivus, liquet eum non fieri sine transitu per medium. — Ex hac dote autem fluit, quod corpora gloriosa gravitatem solummodo habitura sunt, quando et in quantum id voluerint; et quod celeritate summa poterunt ascendere in cœlum, de cœlo descendere in mundum innovatum, ejusque varias partes perlustrare, ut sensus sui reficiantur pulchritudine et amabilitate diversarum creaturarum Dei.

d) Claritas in eo consistit, quod corpus erit pulcherrimum, et totum luminosum non tantum in exterioribus sed etiam in interioribus suis partibus. — Notat S. Thomas hanc claritatem alterius esse generis, ac est claritas naturalis, quantum ad causam suam, non vero quantum ad speciem; necnon hanc claritatem immediate connecti cum gloria animæ, ac proinde in diverso gradu esse conferendam pro diverso gradu gloriæ animæ. — Imago hujus claritatis habetur in transfiguratione Christi.

III. Demonstratio. *a)* Corpora Sanctorum hisce quatuor dotibus ornanda esse, manifeste liquet ex eo quod corpus Christi in resurrectione sua eis ornatum fuit, et Scriptura docet corpora Sanctorum conformia fore corpori glorioso Christi; dicit nempe S. Paulus *Phil.* III, 21 : « *qui (J. C.) reformabit corpus* » *humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ;* »

h. e. qui in resurrectione nostra reformabit corpus infirmum et miseriis obnoxium quod nunc gerimus, illudque conforme efficiet corpori suo glorioso. Jamvero corpus Christi gloriosum illas dotes habet : est enim *impassibile*, uti constat ex *Rom.* VI et *Apoc.* XXI, 4; est *agile* uti constat ex apparitionibus ejus, in quibus subito in aliquem locum venit, et subito in alium se contulit; est *clarum* uti patet ex textu mox citato; est *subtile* uti patet ex egressu ejus e sepulchro clauso et ejus ingressu januis clausis, necnon ex textu Pauli I. *Cor.* XV, 45 : « *Factus est primus* » *homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in* » *spiritum vivificantem;* » h. e. primus homo Adam secundum corpus (de corpore enim hic instituitur sermo) factus est animalem vitam habens (anima vivens significat ens vitam animalem habens; spiritus autem significat ens vitam naturæ intellectualis habens, uti ex verborum oppositione clare patet), vitam scilicet vegetativam et sensitivam cibo, potu et quiete sustinendam, qualis habetur in animalibus; secundus vero Adam seu Christus in resurrectione sua secundum corpus factus est vitam spiritalem seu spiritui propriam habens, h. e. vitam, quæ sicut vita spiritus sine cibo, potu et quiete sustinetur. Dicitur *in spiritum vivificantem*, quia spiritualis vita ex seipsa conservatur sine alimenti aut quietis adjutorio, seu seipsam vivificat.

Notetur corpus Christi gloriosum corruptioni obnoxium dici non posse ex eo quod cicatrices vulnerum servaverit, cum id factum sit ad majorem cumulum gloriæ, in quantum ipsa sunt quædam virtutis insignia, et certe speciali gloria sunt decorata.

b) Idem aperte demonstratur ex S. Paulo, I Cor. XV, 42 et seqq. : « *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incor-* » *ruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; semi-* » *natur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus* » *animale, surget corpus spiritale* ». Jamvero sensus istorum verborum est : corpus nostrum mortuum, quod terræ tamquam semen mandatur, erat corruptibile, et ut tale mortuum est; sed

hoc corpus surget incorruptibilitatis dote ornatum; corpus istud jam in vita sed maxime in morte fœditate (onaanzienlijkheid) circumdatum, surget claritatis dote ornatum, h. e. pulchritudine et splendido lumine extrinsece et intrinsece ornatum; corpus istud in vita ad morbos et mortem repellenda, ad facile se movendum et ad opera sua facile perficienda omnino impotens, surget valentissimum et potentissimum ad hæc omnia, seu surget agilitatis dote ornatum; corpus istud in vita et in morte sua corpori animalium prorsus simile, egens sicut animalia cibo, potu et quiete, surget habens vitam spiritalem, similem nempe vitæ spirituum, qui neque cibo, neque potu, neque quiete egent, seu surget subtile. — Notetur incorruptibilitatem, de qua loquitur Paulus, intelligendam esse de immunitate a quovis malo, quia in *Apoc.* XXI, 4 dicitur Sanctos fore immunes ab omni dolore.

IV. **Quæstio subsidiaria.** *Qualis erit conditio corporum damnatorum, respectu habito ad dotes corporum beatorum?*

R. Hæc corpora immortalia quidem erunt, Dei justitia, ut in æternum puniri valeant, id efficiente; verum non erunt impassibilia, sed contra maxime ad patiendum apta (geheel gesteld om te lijden); neque subtilia erunt, sed animalia (grof) h. e. animæ imperio haud submissa; et, quamvis sine cibi, potus aut quietis subsidio in æternum sint victura, tamen fame, siti et quietis necessitate semper laborabunt; neque erunt agilia, sed gravia (zwaar) h. e. nonnisi cum difficultate, labore et afflictione se moventia; neque erunt clara, sed horribilia et fœda (vuil) h. e. omni pulchritudine destituta, immunda undequaque horrida, multo fœdiora quam fœdissima hujus mundi cadavera.

CAPUT TERTIUM

De judicio Ultimo seu Universali

Prænotanda. Quid hoc judicium sit, supra *pag.* 14 jam diximus. Inquirendum autem de eo est; 1° An vere fiet? 2° Quandonam fiet? 3° Quisnam in eo erit judex? 4° Quinam in eo judicabuntur? 5° Qualis erit ejus forma, et quandonam sententia prolata executioni mandabitur?

§ I.

Q. AN JUDICIUM UNIVERSALE VERE FIET?

R. *Doctrina catholica tenet futurum esse universale judicium.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *de fide*, uti patet ex omnibus symbolis, et præsertim e symbolo S. Athanasii : « *Ad cujus (Christi) adventum omnes homines resurgere* » *habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis* » *propriis rationem.* »

II. Demonstratio : 1° *e S. Scriptura. Matth.* XXV, 31, 32 legitur a Christo dictum : « *Cum venerit Filius hominis in majes-* » *tate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem* » *majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes,* » *et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab* » *hœdis.* » — Pariter in *Apoc.* XX, 12 Joannes dicit : « *Et vidi* » *mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni et* » *libri aperti sunt... et judicati sunt mortui ex his, quæ* » *scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* »

2° *e Traditione.* Frequenter Patres, ut homines a peccatis revocent et ad pœnitentiam excitent, ad judicium ultimum provocant. Clare hoc judicium describit S. Justinus M. *Apol.* I, 52 :

« Prophetæ, ait, duplicem Christi adventum prænuntiarunt,
» unum in forma humili, alterum in forma gloriosa, dum e cœlo
» cum exercitu Angelorum veniet, corpora bonorum et piorum
» immortalia reddet, corpora autem impiorum in ignem æter-
» num projiciet. »

III. Rationes convenientiæ. Observetur inprimis, fieri non posse, ut actualis conditio generis humani, quæ est status viæ, in æternum duret; nam conditio status viæ est conditio imperfecta, quæ de se ad suam perfectionem tendit. Jamvero sapientia Dei, qui omnia juxta rerum essentias et debitum ordinem gubernat et disponit, conditioni, quæ de se perfectionem postulat, æternam destinationem dare non potuit; ergo. — Intellecto autem quod actualis generis humani conditio est finienda, facile perspicitur summe conveniens esse ut ipsa finiatur per judicium universale. Etenim summe id convenit :

1° *ut justitia divina debito modo manifestetur*. In statu viæ justitia Dei haud multum apparet, cum non raro justi maxime affligantur, mali autem plena fruantur prosperitate; et ita agit Deus, ut homo ex fide et ex plena libertate Ipsi serviat. Transacto autem statu viæ, non tantum cessat pro Deo illa suam justitiam occultandi ratio; sed status termini, qui est status perfectionis, postulat ut plene manifestetur hæc justitia Dei erga omnes homines. Jamvero ad hoc requiritur judicium universale; ergo.

2° *propter honorem Christo debitum*. Christus a Deo constitutus est mediator inter cœlum et terram, et rex totius humani generis. Quoadusque dentur homines in statu viæ, non manifestat Christus mediator et rex totam suam gloriam totamque suam potentiam, ut homines ex fide et ex plena libertate Ipsum tanquam suum dominum et regem agnoscant; verum cessante statu viæ, perfectio status termini postulat, ut Christus toti humano generi appareat cum plena sua gloria plenaque sua potestate, et præcipue cum plena potestate judiciali, quæ est

ultimum potestatis regiæ complementum : requiritur ergo judicium universale.

3° *propter gloriam justorum et confusionem impiorum.* In actuali conditione humani generis non accipiunt boni laudem et mercedem justam, sed contra sæpe contemnuntur et calumnias persecutionesque patiuntur; et mali non accipiunt justam pœnam, sed contra sæpe honorantur, laudantur bonisque fruuntur : quæ omnia fiunt, ut homo vitium fugiat et virtutem colat, non intuitu bonorum hujus mundi, sed intuitu bonorum quæ fide novit, et ita plena cum libertate agat. Finito autem statu viæ, hæc sors justorum et impiorum est immutanda; perfectio enim status termini postulat ut justi in eadem societate humana, in qua fuerunt contempti, nunc glorificentur, et mali, qui in ea fuerunt honorati, nunc in ea contemnantur et puniantur : requiritur ergo judicium universale.

4° *propter ipsam naturam hominis.* Justitia postulat, ut homo judicetur in eadem illa conditione, in qua vixit; jamvero vixit in corpore, ergo et cum corpore suo est judicandus; sed et vixit in societate humana, visus ab aliis hominibus, communicans et agens cum eis; oportet ergo ut et judicetur in societate humana, ab aliis hominibus visus et cum eis agens.

§ II.

Q. QUANDONAM FIET JUDICIUM UNIVERSALE?

R. *Fiet statim post resurrectionem carnis et adventum Christi.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio saltem ut *theologice certa* tenenda est contra Millenarios seu Chiliastas, qui sæc. II et III docuerunt Christum mille annos ante universale judicium regnaturum in mundo cum justis. — Inter istos Chiliastas fuerunt, qui admitterent in hoc regno delectationes carnales; isti autem expresse ab Ecclesia damnati sunt.

II. Demonstratio. Quod judicium ultimum statim sequetur resurrectionem carnis et Christi adventum clare docetur in S. Scriptura. Matth. XVI, 27 enim legitur : « *Filius hominis* » *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc* » *reddet unicuique secundum opera ejus* ; » quo in textu clare indicatur immediatum finem adventus Christi esse judicium. Præterea Joannes V, 28, 29 aperte illud conjungit cum resurrectione carnis : « *Nolite mirari hoc,* ait, *quia venit hora, in* » *qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii* » *Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ,* » *qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* » — Patres, exceptis quibusdam qui Millenariis adhæserunt, expresse hanc doctrinam tenent. Ita S. Aug. *ad Dulcit.* Q. 3. n. 2 dicit : « Interrogationi tuæ, qua quæris utrum in adventu » Domini mox credendum sit futurum esse judicium, puto, quod » sufficiat fides, qua confitemur, Christum a Patris dextera esse » venturum ad vivos et mortuos judicandos. Cum ergo ipsa sit » ei causa veniendi, *quid aliud* acturus est mox ut venerit, nisi » propter quod veniet? » — Tandem ratio theologica idem postulat : finito enim statu viæ pro genere humano, non datur locus pro statu intermedio, sed statim plena merces est conferenda, aut plena punitio infligenda (cfr. supra pag. 24).

III. Objectio. Millenarii nobis opponunt textum Apoc. XX, 4, 5 : » *Vixerunt et regnaverunt (justi) cum Christo mille annis.* » *Cœteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur* » *mille anni. Hæc est resurrectio prima.* » Inde autem concludunt duplicem haberi resurrectionem, alteram justorum, et dein post mille annos alteram impiorum ; necnon Christum per hos mille annos in mundo cum justis regnaturum esse, et solummodo, hoc regno finito, futurum esse judicium ultimum.

R. Hæc objectio nititur falsa textus interpretatione. Illa *resurrectio prima*, et illud *regnum per mille annos* nihil aliud sunt, ac beatitudo animarum separatarum in cœlo cum

Christo regnantium, uti aperte constat ex c. XXI, 8, ubi definitur *mortem secundam* esse damnationem secundum animam et corpus. Resurrectio enim prima et secunda opponuntur morti primæ et secundæ; ergo si mors prima significat damnationem secundum animam solam, et mors secunda damnationem secundum animam et corpus; resurrectio prima est beatitudo secundum solam animam, et resurrectio secunda est beatitudo secundum animam et corpus simul. In verbis *mille annis* habetur, uti frequenter in propheticis libris fit, locutio determinata pro indeterminata; unice exprimitur longum fore temporis spatium, quo animæ separatæ cum Christo in cœlo erunt.

IV. Nota. Quidam scriptores, eodem Apocalypsis textu innixi, contenderunt ante secundum Christi adventum felicissimum in Ecclesia per mille annos fore statum; verum ex data istius textus explicatione jam constat id fundamento carere, ac dein liquet id esse falsum, cum in Scriptura clare affirmetur omnes, qui pie volunt vivere, persecutionem passuros esse (II. Tim. III, 12).

§ III.

Q. Quis in judicio ultimo judicis munus exercebit?

R. *Erit Christus Dominus tamquam Deus et homo.*

—

I. Explicatio. Quod Christus, ut Deus, judex erit in universali judicio, per se liquet, cum judiciaria potestas primarie et essentialiter ad divinam naturam pertineat, ac proinde judicium universale per se ad Patrem, Filium et Spiritum S. spectet; attamen ut Deus, non potiori jure erit judex quam Pater et Spiritus, ut ex eadem ratione liquet. — Tota igitur quæstio est, an Christus, etiam ut homo seu secundum humanam suam naturam, judicis munus exerciturus sit. Jamvero respondetur, Christum etiam ut hominem judicem universalis judicii fore, non quidem judicem primarium, sed vices gerentem Dei, Patris nempe, et Filii seu suimetipsius ut Dei, et Spiritus Sancti.

II. Gradus certitudinis. Id dicendum est *de fide;* utpote aperte in fidei symbolis et in Scriptura contentum.

III. Demonstratio. Id clare constat ex verbis S. Petri Act. Ap. X, 42 : « *Præcepit (Christus) nobis prædicare populo* » *et testificari, quia Ipse est qui constitutus est a Deo judex* » *vivorum et mortuorum.* » Jamvero certe non ut Deus sed ut homo a Deo constitutus est judex hominum; ergo. Dein Matth. XXV, 31, 32 legitur : « *Quum autem venerit Filius* » *hominis (h. e. Christus ut homo) in majestate sua et omnes* » *Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* » *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit* » *eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* » — Præterea in fidei documentis et in Patribus, uti notum est, sæpissime dicitur de Christo quatenus est passus et mortuus, ac proinde quatenus est homo : « *qui venturus est judicare vivos* » *et mortuos.* » — Tandem hoc suadet et ratio theologica : inprimis, uti supra vidimus, conveniens omnino est, ut fiat judicium ultimum pro gloria Christi, qui constitutus a Deo est rex totius humani generis; jamvero ejus potentia regalis non appareret in hoc judicio, si munus judicis ab Ipso non exerceretur; ergo. Insuper cum de hominibus corpore indutis decernendum est, decet sane, ut ipsi corporeis oculis judicem videre, auribus sententiam audire, et omnino judicium illud sensibus percipere possint; jamvero hæc omnia plene obtinentur si judicium fiat a Christo ut homine; ergo.

IV. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *In qua forma judicabit Christus?*

R. Apparebit in corpore glorioso et circumdato omni majestate : præcedet Eum signum crucis, præcedent Angeli et Ipse summa potentia et splendore erit indutus. Omnes autem tam reprobi, quam electi, videbunt hanc gloriam humanitatis Christi; etsi soli electi visuri sint ejus divinitatem.

Jsta omnia constant e textu Matth. jam citato, si excipiatur

quod diximus de signo crucis. Hoc autem colligimus ex Matth. XXIV, 30 : « *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et* » *tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium* » *hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et* » *majestate.* » Jamvero Patres summa consensione docent hoc signum nihil aliud esse, ac signum crucis. An autem hæc crux futura sit vera illa crux, in qua Christus est mortuus, sed gloria circumdata; an vero crucis figura ex luce aut igne formata, incertum plane est. — Notetur etiam quod ea omnia, quæ in hisce textibus dicuntur de sede majestatis Christi, optime possunt metaphorice intelligi de gloria ejus.

Idem demonstratur ratione theologica. Etenim cum status viæ pro genere humano in judicio sit finitus, nulla amplius est ratio cur Christus suam gloriam occultaret, sed contra status termini, qui tunc incipit, postulat ut gloriam suam manifestet.

Q. II. *An etiam alii cum Christo judicaturi sunt?*

R. S. Thomas (Suppl. q. 89) multiplicem judicandi modum distinguit : 1° *comparatione*, quatenus aliqui suis operibus et vita ostendunt, alios, qui idem facere potuerunt et neglexerunt, esse pœna dignos : hoc modo valde improprio, non modo justi, sed et impii dicuntur eos judicare, qui majora crimina commiserunt (cfr. Matth. XII, 41); 2° *interpretative*, quatenus aliqui, licet judiciaria potestate careant, judicis tamen sententiæ consentiunt, illamque publice approbant : hoc modo justi omnes sive Angeli sive homines judicabunt; 3° *formaliter*, quatenus aliqui aut ex sua potestate sententiam ferunt, aut sententiam latam in aliorum notitiam ducunt aut pronuntiant. Hoc ultimo modo, ducendo sententiam in aliorum notitiam, judicabunt Apostoli et illi omnes, qui perfecte Jesum secuti sunt, uti constat ex verbis ejus ad Petrum, Matth. XIX, 28 : « *Amen dico vobis,* » *quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione* (in resurrec- » tione) *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ,* » *sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim* » *tribus Israël* (h. e. totum mundum). »

§ IV.

Q. QUINAM IN UNIVERSALI JUDICIO JUDICANDI SUNT?

R. *Tenendum est omnes omnino homines, qui ab initio mundi usque ad finem procreati fuerint, in hoc judicio judicandos esse.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio dicenda est *theologice certa*, utpote unanimi theologorum consensu e fidei fontibus deducta.

II. Demonstratio. Inprimis S. Scriptura id clare docet; *Matth.* XXV, 32 enim legitur : « *Congregabuntur ante eum* » *(Christum) omnes gentes;* » et *Apoc.* I, 7 : « *Ecce (Christus)* » *venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui* » *eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus* » *terræ.* » — Dein ratio convenientiæ id etiam postulat : omnis homo, uti diximus, judicari debet tum in anima, tum in corpore, tum in societate hominum, quia in ea judicandus est conditione, in qua vixit; ergo.

III. Objectiones. 1° Dicendum videtur, saltem infantes ante rationis usum mortuos ad ultimum judicium non esse vocandos, cum opera moralia non posuerint, ac proinde materiam pro judicio non habeant.

R. Ubi agitur de judicio circa hominem relate ad finem ejus ultimum ferendo, non solum ad personalia ejus opera, sed etiam ad originale peccatum, quod singuli homines contrahunt, et quo a fine suo ultimo avertuntur, est attendendum. Præterea, etiam in hypothesi quod peccatum originale non existeret, adhuc possent vocari ad judicium; posset nempe sententia ferri de absentia actus moralis vel boni vel mali in ipsis, eisque attribui sors cum hac conditione conveniens.

Obj. 2° Alii opponunt aliquos impios et justos in Scriptura dici jam judicatos esse in hoc mundo; ergo, aiunt, isti non amplius in ultimo judicio judicandi sunt.

R. Hæc Scripturæ locutio nihil aliud significat, nisi eos evidenter præ se ferre aut condemnationis aut salutis causam; et futuram ipsorum sententiam tam certam esse, ac si eam jam accepissent.

IV. Nota. Ex dictis colligitur pueros, sine baptismate ante rationis usum defunctos, etiam præsentes fore in judicio ultimo, et ibi illam sortem supra descriptam accepturos. Videbunt quidem gloriam Christi et Sanctorum; sed de visione beatifica notitiam probabiliter non obtinebunt, siquidem eam in Sanctis apprehendere non poterunt, et Deus probabiliter eam ipsis non revelabit. Ex visione autem gloriæ corporum Sanctorum non dolebunt, uti constat ex ratione, quam *pag.* 73 exposuimus.

§ V.

Q. QUALIS ERIT JUDICII ULTIMI FORMA, ET QUANDONAM SENTENTIA IN EO LATA EXECUTIONI MANDABITUR?

R. *Judicium hoc non vocaliter sed mentaliter perficietur tam quoad causæ cognitionem quam quoad sententiam singulorum : singulis nempe supernaturali lumine plene innotescent singulorum omnia et singula opera moralia totius vitæ secundum totum suum meritum vel demeritum, necnon sententia a Deo et a Christo homine in singulos secundum ipsorum opera prolata. Verum probabile est, quod ultima sententia qua electis omnibus simul cœleste regnum et simul omnibus reprobis supplicium assignabitur, voce sensibili a Christo proferetur. Judicio autem finito, statim sententia in unumquemque prolata executioni mandabitur.*

I. Gradus certitudinis. Quæ diximus de causæ discussione et de sententia in singulos proferenda, tenenda sunt ut *certa*.

II. Explicatio et demonstratio. *a)* Causæ cognitionem et sententiæ singulorum prolationem non fieri vocaliter sed men-

taliter, per se liquet; nam hæc locutio ad singulorum opera discutienda et singulis præmia vel pœnas decernenda requireret immensum temporis spatium; quæ permagna judicii duratio cum Dei sapientia componi non potest. — Ut autem ista fiant mentaliter, requiritur, uti patet, supernaturalis mentium a Deo illuminatio.

b) Quod autem singulis plene innotescent singulorum omnia et singula opera moralia totius vitæ secundum totum suum meritum vel demeritum, necnon sententia a Deo et a Christo homine in singulos secundum ipsorum opera prolata, plene constat *e S. Scriptura*. S. Paulus enim I *Cor.* IV, 5 clare docet in judicio aperte manifestanda omnibus omnia opera hominum, etiam omnes occultas cogitationes; dicit nempe : « *Nolite ante » tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illu- » minabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cor- » dium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* » Hisce nimirum verbis monet Paulus Corinthios ut abstineant a judicio de ipso ferendo, donec Dominus ad judicandum venerit; et pro motivo dat, quod nunc nondum sufficientem scientiam habent de actibus hominum, dum tunc autem in Dei judicio omnia cognoscerent de singulis, et audirent ipsam sententiam quam Deus de singulis feret. Idem docetur in *Apoc.* XX, 12 : « *Et vidi mortuos, ma- » gnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti » sunt, et alius Liber apertus est, qui est vitæ, et judicati » sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum » opera ipsorum.* » Isti enim libri nihil aliud sunt, ac scientia Dei qui novit singula singulorum facta, dicta et cogitata; et actus aperiendi hos libros est hujus scientiæ hominibus communicatio. Præterea idem clare colligitur ex eo quod Christus *Matth.* XXV, 32 dicit, se publice separaturum esse electos a reprobis; jamvero id certe non potest facere sine manifestatione conscientiæ singulorum, et justitia postulat ut in hac manifestatione nequidem unum omittatur morale opus. Et certe nequidem

minimus actus omittetur, nam Christus *Matth.* XII, 36 dicit : « *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum* (minimum opus malum), *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (immediate loquitur Dominus de judicio extremo). » — Accedit et doctrina Patrum : ita S. Gregorius (*L.* 2. *vitæ ejus a Joan. Diac.*) declarat : « Positurus est Christus ante oculos omnium omnia occulta singulorum. » S. Bernardus (*De conv. ad Cler.* c. 16) pariter dicit : « Et qui novit omnia, nota faciet universis; » et in antiquo Ecclesiæ hymno legitur : « Cuncta cunctorum cunctis arcana patebunt. » — Suffragatur etiam ratio theologica; vidimus maxime convenire ut homines in fine mundi publice judicentur; jamvero rationes convenientiæ mox allatæ æque postulant, ut manifestetur tam unus quam alter actus moralis, necnon ut manifestatio fiat tam uni quam alteri homini. Ergo.

Petrus Lombardus existimavit quidem peccata remissa in judicio non esse manifestanda. Verum id nullatenus admitti potest; etenim demonstratio allata valet pro omnino omnibus actibus moralibus. Dein si hæc peccata non cognoscerentur, cognosci etiam non posset pœnitentia de eis facta, et ita jam non plenum judicium de hominum meritis fieret. Neque opponi potest hanc manifestationem Sanctis in ignominiam cedere; nam hæc peccata non publicabuntur ad ignominiam et vituperium, sed in veram eorum gloriam, propter pœnitentiam quam fecerunt, sicuti nec S. Petri negationes nec Mariæ Magdalenæ vitia in verecundiam ipsis cedent, etsi palam publicanda sint. Dein si ex manifestatione ista erubescerent Sancti, nonne etiam verecundia afficerentur ex notitia, quam Deus de eorum peccatis remissis habet?

c) Probabile tamen est quod ultima sententia, qua communiter omnibus electis cœlum et omnibus damnatis infernum assignabitur, voce sensibili proferetur; quia hoc et brevissimo tempore fieri potest, et congruit Christo Domino, ut cum in humana et

sensibili forma venturus sit judicare, sensibili modo judicium claudat. Unde probabile videtur, quod sensibili voce dicturus sit : « *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis* » *regnum a constitutione mundi : Discedite a me maledicti* » *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* »

d) Sententiam in unumquemque prolatam statim executioni esse mandandam, liquet ex verbis, quæ Christus ad electos et ad reprobos dicet : *venite benedicti; discedite a me maledicti.* Dein sapientia Dei id postulat : finito enim tempore status viæ, statim locus datur retributioni. — Hac in re errarunt quidam Millenarii, qui censuerunt Christum post judicium per mille annos in terris cum justis mansurum, antequam in cœlum ingrederetur.

III. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *Quamdiu durabit hoc judicium?*

R. Determinari id non potest; non videtur tamen conveniens vel ut absolvatur unico instanti, quia in judicio sensibili requiritur aliqua mora, vel ut longiori tempore duret, quia judicium non est status aliquis permanens, sed transitus de uno statu in alium.

Q. II. *Ubinam fiet judicium ultimum?*

R. Probabile est illud fore in valle Josaphat, quæ sita est ad orientem Jerusalem inter mœnia et montem Oliveti, et a torrente Cedron interluitur. Dixit enim Deus apud Joëlem III, 2 : « *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat,* » *et disceptabo cum eis ibi;* » et v. 12 : « *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* » Jamvero in hisce verbis certe fit sermo de judicio ultimo, uti e toto contextu patet; et probabile videtur per *vallem Josaphat*, hic intelligendam esse vallem istam, quam mox indicavimus. Et re quidem vera vox *Josaphat*, quamvis significet *Dei judicium*, videtur tamen hic accipi non posse ut nomen commune, quemadmodum quidam volunt. Si

enim accipiatur ut nomen commune, sensus esset : deducam *omnes gentes in vallem in qua judicabo eas, et ibi judicabo eas;* quæ phrasis manifeste est tautologica. Si vero accipienda sit ut nomen proprium, non nota est nisi illa vallis modo descripta, quæ nomen vallis Josaphat habeat. Verum quidem est hoc nomen in aliis Scripturæ locis nunquam huic valli attribui, sed ipsi attribuitur ab antiquis Ecclesiæ scriptoribus, uti ab Eusebio in suo *Onomastico*. Forsan accepit hæc vallis istud nomen a monumento quodam regis Josaphat. — Attamen hæc demonstratio non est plene certa, quia fieri potest, ut per *vallem Josaphat* non designetur locus judicii sed in memoriam vocetur imago hujus judicii, clades nempe regum contra regem Josaphat pugnantium, quæ narratur II Parall. XX; verumtamen hæc explicatio est minus probabilis.

Opponunt aliqui contra nostram explicationem, quod vallis Josaphat omnes judicandos comprehendere non poterit. Verum nihil inde sequitur : nihil enim obstat, quominus dicamus quod non omnes judicandi futuri sunt intra vallem, sed quod Christus sedebit supra vallem, et judicandi stabunt in locis circumjacentibus. Præterea, cum S. Paulus I *Thess*. IV, 16 dicat : « *simul* » *rapiemur ... in nubibus obviam Christo in aëra,* » multi opinantur solos reprobos in valle et in locis vicinis constituendos esse, electos vero in aëre sublimes fore cum Christo. — Cæterum utrum constitutio impiorum a sinistris Christi, et electorum a dextris ejus, de qua in Evangelio, sit proprie, an metaphorice intelligenda, non constat.

Si judicium in valle Josaphat futurum sit, liquet hunc locum convenientissimum esse; decet sane ut Christus circa Jerusalem, ubi injuste judicatus et condemnatus fuit, et circa montem Oliveti unde cœlum conscendit, ad judicium veniat.

Q. III. *An etiam Angeli in judicio ultimo judicabuntur et retributionem accipient?*

R. Non judicabuntur de actibus suis in statu viæ positis neque

retributionem pœnæ aut mercedis pro eis ibi accipient. Id enim jam factum est a momento, quo boni Angeli ad visionem Dei sunt admissi et mali in infernum detrusi. Verum indirecte judicabuntur in hominibus, in quantum ipsorum actibus fuerunt commixti, atque accidentalem retributionem inde accipient. Ubi enim manifestabuntur et damnabuntur opera mala, dæmonum instigatione patrata, manifestabitur et damnabitur etiam eorum malitia, et ipsi necessario accidentalem tristitiam patientur propter hanc ignominiam et contemptum : et pariter ubi manifestabuntur et præmio decorabuntur opera bona, Angelorum cooperatione peracta, manifestabitur et laudabitur etiam sanctitas istorum Angelorum, qui etiam necessario ex hac laude, necnon et ex salute eorum, quos custodierunt, accidentali fruentur gaudio. — Præterea in judicio ultimo dæmones et inde accidentali pœna affligentur, quod tunc definitive recludendi sunt in inferno, et auferenda eis est potestas nocendi electis, necnon divinos sibi procurandi honores.

CAPUT QUARTUM

De Regno æterno Christi

Postquam de fine mundi generisque humani diximus, unum remanet inquirendum, ut finem eorum omnium, quæ creata sunt, cognoscamus; qualis nempe futura sit post judicium ultimum conditio Christi ut hominis. Per se autem liquet, Ipsum in æternum visionem beatificam, cæterasque tum animæ tum corporis dotes, quibus nunc fruitur, esse servaturum. Verum dubitatio apud quosdam antiquos orta est, an Ipse post ultimum judicium mansurus sit, sicuti nunc est, rex Ecclesiæ suæ. Inde ponimus hanc quæstionem :

§

Q. AN CHRISTUS UT HOMO POST JUDICIUM ULTIMUM POTESTATEM REGIAM SERVABIT IN ECCLESIAM SUAM?

R. *Fidei doctrina est Christum ut hominem post ultimum judicium regem esse mansurum Ecclesiæ suæ. Attamen non exercebit tunc potestatem regiam, sicuti antea, sibi scilicet acquirendo subditos et acquisitos contra hostes defendendo; sed pacifice possidendo subditos et acquisitos, et simul cum eis, tamquam eorum dux, Deum adorando et colendo; quod prioris exercitii perfectio est et complementum.*

—

I. **Explicatio et demonstratio**. *a)* Christum ut hominem in æternum regnaturum esse, constat e symbolo Nicæno, in quo legitur : « *cujus* (Christi, qui natus, mortuus et sepultus est) » *regni non erit finis.* » Dein legitur *Luc.* I, 32, 33 : « *regnabit* » (Christus) *in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit* » *finis* » ; ac præterea in *Apoc.* XXII, 3 dicitur de civitate beatorum sedem, scilicet regalem, Dei et Agni (Christi ut hominis) in ea futuram esse : « *sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi* » *ejus servient ei.* »

b) Quod vero ad modum attinet, quo Christus post judicium ultimum regnaturus est, certe iste modus a præsenti erit diversus. Nunc regnat Christus, seu regalem suam potestatem exercet, subjiciendo sibi homines, qui per prævaricationem Adæ et prævaricationes suas e regno Dei exciderunt, et servi facti sunt regni peccati; et hoc facit per Ecclesiæ ministerium, per dona interna gratiæ, per Ecclesiæ contra hostes suos protectionem; etc. Post judicium autem ultimum istud potestatis exercitium necessario cessabit ex defectu materiæ : tunc enim non amplius erunt homines a peccato liberandi et ad justitiam adducendi : Sancti in cœlo plene erunt confirmati in bono et ab omni malo, quod peccati est effectus, immunes; damnati vero

sine spe redemptionis in inferno erunt reclusi. Verum hoc regiæ potestatis exercitio cessante, aliud succedet quo prius complebitur : post subditorum enim submissionem sequitur pacifica eorum possessio, necnon eorum applicatio ad hunc finem propter quem triumphator eos sibi subjecit. Ergo Christus post judicium ultimum regnabit, pacifice fruendo Sanctis quos a potestate diaboli liberavit sibique subjecit, eosque, ut eorum dux, applicabit ad eum finem propter quem eos sibi subjecit, scilicet ad celebrandum cum Ipso gloriam Dei in æternum : alius enim non est finis in operibus Christi, ac procurare gloriam Dei. — Clare continetur tota hæc doctrina in I Cor. XV, 28 : « *Quum autem* » *subjecta fuerint illi* (Christo) *omnia, tunc et ipse Filius sub-* » *jectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in* » *omnibus;* » h. e. quum (post finem mundi scilicet) Christus plene devicerit omnes suos hostes, et ita in pacificam (h. e. sine labore et lucta) regni electorum possessionem venerit; tunc Ipse, ut rex totius cœtus Sanctorum, se submittet Patri seu Patris æternam gloriam celebrabit, et agnoscet Patrem esse auctorem regni quod adeptus est, ut ita clare appareat Deum esse auctorem omnium bonorum, quæ habentur in quovis ente finito. Ex his enim verbis aperte constat Paulum non opinari Christi regnum post finem mundi finiendum, sed contra ad perfectionem suam adducendam, cum affirmet omnia Ipsi tunc fore subjecta, ac proinde Ipsum perfectissime regnaturum; nam ille perfectissime regnat, cui omnia sunt subjecta. Quod autem Christus tunc, ut dux et rex omnium Sanctorum, se submittet Deo, aperte asseritur a Paulo. — Idem jam docuerat Paulus in verbis antecedentibus v. 24 : « *Deinde finis, quum tradiderit* » (Christus) *regnum Deo et Patri, quum evacuaverit omnem* » *principatum, et potestatem et virtutem;* » h. e. finis vicissitudinum rerum erit, quando Christus erit offerens (in græco legitur *tradat*) hoc regnum, quod sibi acquisivit, in Dei gloriam et honorem, seu quando se cum omnibus Sanctis Deo submittet

eumque ut omnium Dominum agnoscet; et hoc nempe erit, quando devicerit omnem potestatem inimicam. — Ne quis tamen opinetur Christum ante finem mundi se cum Sanctis Deo non offerre; id enim constanter facit. Verum nunc nonnisi incompletum regnum Deo offert, tunc autem completum offeret; nunc adhuc habet pugnam contra hostes gerendam, tunc vero in pace et in quiete unice huic oblationi vacabit.

II. Objectiones. 1° Dixerunt aliqui regnum Christi non fore æternum, sed finem habiturum in fine mundi, ubi omnes ejus hostes Ipsi submissi erunt; siquidem in Ps. CIX, 1, 2, legitur Deum Patrem ad Christum dixisse : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

R. Ut objectio valeret, oporteret ut textus ille nonnisi in adversariorum sensu intelligi possit; jamvero alio in sensu optime potest accipi; et quia potest, in alio sensu debet intelligi, cum alibi S. Scriptura clare affirmet regnum Christi esse æternum. Probabilius sensus istius loci est sequens : sede a dextris meis in cœlo, quin redeas in mundum, usquedum omnes inimici tui erunt ad pedes tuos; tunc autem redescendes ad mundum ut ultimum instituas judicium. Alii autem hanc explicationem proponunt : particula *donec*, aiunt, nullam negationem hic includit, sed affirmat aliquid de certo tempore, de quo maxime habetur quæstio, et de reliquo tempore nihil dicit; ac proinde concludunt in hoc textu affirmari, quod Christus certe regnabit usque ad finem mundi, sed de tempore post finem mundi nihil exprimi.

Obj. 2° Expresse negat Paulus Christum regnaturum esse in æternum; nam I Cor. XV, post verba : « *Oportet illum* (Christum) » *regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus,* » de reliquo tempore subdit : « *cum subjecta fuerint illi omnia,* » *tunc et ipse Filius subjectus erit ei;* » significans ipsius regnum tunc cessare, et solum Deum ab hoc tempore regnaturum.

R. Ubi Paulus dicit Christum *regnare* donec plene devicerit inimicos suos, intelligit istud *regnare* de exercitio potestatis

regiæ per luctam, laborem et pugnam, uti constat ex antecedentibus verbis : *quum evacuaverit omnem principatum*, etc.; non vero de quovis potestatis regiæ exercitio. Præterea hæc erga Patrem subjectio Christi non destruit potestatem ejus regiam, nam Ipse secus nunquam fuisset rex, cum semper fuerit ut homo Patri subditus. Tandem ex ipsis istis verbis liquet Christum post finem mundi fore verum regem; nam in eis asseritur, quod pacifice sibi submissos habebit omnes Sanctos, et cum eis, ut eorum dux, se offeret Patri; jamvero alios sibi submissos habere et eos, ut eorum dux, ad actum applicare, certe supponit potestatem regiam; ergo vere *regnabit Christus in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*. (Luc. I. 32, 33).

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. (Eccles. vii, 40.)

INDEX.

PARS POSTERIOR.

De Novissimis mundi totiusque humani generis.

PRÆCIPUA ERRATA.

Pag.	*Linea.*	*Legitur.*	*Legendum.*
61	6	exprobationes	exprobrationes
99	25	oratio	impetratio
153	12	ubi	uti